BREUIS ET ADMODUM DILUCIDA IN MISSÆ CANONEM...



BREVIS ET ADMODVM DILVcida in missæ canonem exegesis,

ex priscis, iisque synceræ ac amplectend e fidei, primariæq; classis scriptoribus collecta, nunquamque hactenus typis euulgata.

Pagella sequens scriptores recenset.

Adpegimus sub finem, coronidis uice D. Hildeberti Cenomanensis quõdam episcopi, libellum de concordia ueteris ac noui sacrificii metrico modulamine excurrentem.



PARISIIS.

Apud Carolam Guillard viduã Claudii Cheuallonii sub Sole aureo, & Gulielmum desbois, sub cruce alba, in via diui Iacobi.

M D X L·V I I I.

CATALOGVS AVTHORVM.

Cyprianus.

Ambrosius.

Augustinus.

Hieronymus.

Gregorius.

Fulgentius.

Seuerianus.

Vigilius.

Isidorus.

Beda.

Auitus.

AD LECTOREM.




Vm Christi ecclesia catholica post spiritus sancti vniuerso terrarũ orbi admirãdam illam & sacrosanctam in Christi discipulos effusionem nihil vtilius, nihílque sanctius susceperit, quàm doctrinam verã & apostolicam in sacris literis conscriptã, & postmodum eam quam sacri & sancti illius ecclesiæ doctores, & in ea post apostolos primores sparserunt. Cúmque ex iisdẽ doctrinis tã apostolicis quàm ecclesiasticis, hic liber de expositione canonis missæ compilatus sit, quem apud me delitescere cernens vtile fore ecclesiæ existimaui, si eundem sub modio dudũ reconditum, velut lucernã super candelabrum constituerem, vt illustraret cæcutiẽtes (hac potissimum tempestate)

nonnullos miſſæ abrogatores & prophanatores, qui quidem hiſce perſpectis intelligere facilè poterunt corporis & ſanguinis Chriſti verá præſentiam, & in miſſa verum dei cultum, & ſeruitium inuocationi ſanctorū neutiquam contrarium, quinimo conſentaneum domino exhiberi, iuxta nominis Miſſæ interpretationē, quæ interpretatur ex Hebraico ſermone quaſi publicus dei cultus. Quod cùm ita ſit, confidimus legentium animos per hanc doctrinam ita excultos iri, vt ruditatem, feritatem, duros, aſperos, barbaros, atque inhumanos (ſi quos habent) mores facile exuant: quod tandem fiet, ſi relictis diſcordiæ odiis & diſſidiis, ad pacem fidei conuertantur. quam quidem pacis vnionem maxime perfringūt, in vnitatis hoc ſacramento, callida quædam ingenia cum imperitia maláque prole temeritate coniuncta,

coniunćta, quæ eccleſiam vná faciunt eſſe partes multas, ab eadem diſſidentes, eandémque diſtinguẽtes, non in vnum Paulum, aut Cepham, vel plãtatorem, aut irrigatorem: ſed (quod deterius eſt) in multos inducunt nouellos hæreticos: quorum nominibus appellantur, magis quâm magno illo ſancto & nouo nomine Chriſtiano. Hanc igitur doctrinam ideo inuulgamus, vt per eá fontes prædictos perturbationũ obturemus & exciccemus, morborum cauſſas amputemus, ſimulatque quæ inde fluunt vel pullulant ſuccindamus. Præſtante authore pacis Chriſto domino, cui ſit honor & gloria in ſecula.

INDEX EORVM QVAE IN HOC *libello memoratu digna sunt.*

A



Aron sacerdotium nullum est in aliquo templo. 3.c
Abel puritate & simplicitate dicitur puer dei. 28. Cuius sacrificium Eucharistiam figurauit. Ibidem.f
Abraham nō solum Iudæorum pater est secundum carnē, sed & noster secundum fidem. 28.d
Agere deo gratias quare iubemur. 9.c.10.b
A gratiarum actione incipimus in sacrificio corporis Christi. 10.a
Altare sublime quale sit. 29. b.& sequent.
Amen interpretatur verum. 34.a.35.a
Amor sanct⁹ ad superna eleuat, & ad æterna inflāmat. 9.a
Angeli contra aëreas potestates decertant. 17.b
Angeli deo debent quod sunt, quod viuūt, & quod sanctè & beatè viuunt. 14.a
Angeli etiam per Christum redempti sunt. 12. f. licet pro angelis non sit mortuus Christus. Ibidem.
Angeli multotiēs sanctis patribus olim apparuerunt. 30.a.& seq.& eorum orationes deo obtulerunt. Ibidem.
Angeli nuncij interpretantur. 13.c. qui sæpius missos ad patres antiquos leguntur. Ibidem
Anima æterno obligata amore volare non potest. 9.a
Apostoli in cœna non acceperunt corpus Christi ieiuni. 5.f. quod tamē nunc à ieiunis accipitur. Ibidē. & quare. Ibidem. &c. 6. a. b
Aqua vino mixta in consecratione quid designat. 26.a
Ascensus non potest esse nisi primo humilitatis. 9.a

B

Baptismi sacramentum æqualiter ad patrem & filium & spiritum sanctum pertinet. 15.a
Baptizatos solos missæ interesse licet. 37.d
Bonū hominis summum est possidere deum. 7.b
Bonum temporale vile sit, vt veniat æternum. 11.b

Calicem

C

Calicem dominici sanguinis nisi mixtum aqua offerri non licet. 25.f
Calix sacramenti Eucharistiæ salutaris est accipiéti. 27.e
Calix quem sacerdos consecrat & sanctificat nõ est alius nisi ipse quem dominus apostolis tradidit. 25.a
Catholica dicitur ecclesia, id est, vniuersalis. 19.c d
Cherubim & Seraphim quo modo scribi debent. 14.d
Christi in paschali pœna pascha Iudaicum & suũ comedit. 5.e
Christianus in qualibet tétatione cõuertatur ad dei auxilium. 34.f
In Christo omnia vetera habent finem. 2.d. quæ arguendo nõ euacuauit, sed implendo mutauit.e
Christus à deo missus est sacerdos noster. 2.a qui est oblator & oblatio. Ibid.
Christus est cibus sempiternus. 1.e. qui omnia saginat cœlestia. 1.e
Christus est cibus & potus ecclesiæ, 30.e
Christus est caput omnium iustorũ qui fuerunt à principio seculi. 13.b
Fide eadem qua nos, veteres crediderunt. 13.b
Christus gratia dei pro omnibus gustauit mortem. 37.c
Christus humilitatem suam commendat, cum corpus & sanguinem suum commendat. 11.a
Christus in suis sacerdotib⁹ quotidie loquitur. 24.e Cuius sermo cœlestia sacramenta sanctificat. Ibidem.
Christus in cõsecratione hostiæ adest cum angelis. 30.b c
Christ⁹ licet immortalis sit, tamen in eucharistia quotidie immolatur. 26.d
Christus mediator & conciliator dei & hominum. 11 f. 12.a
Christus nos docuit quæcũque operatus est. 9.b c
Christus per humanitatem interpellat ꝑ nobis apud patrem. 12.c & per diuinitatem propitiat nobis cũ patre. Ibidem
Christus Eucharistiæ sacramentum per annum integrum ante passionem suã prædicauit. 5.a
Christus totum hominem sine peccato suscepit, vt totum hominem à peccatorum peste sanaret. 4.c
Christus pro nobis factus sacerdos interpellat pro nobis. 15.c

Christ' quomodo regnat in æternum. 36.e
Cibos quos Iudæi vitabant in pecoribus, vitamus in moribus. 2.c
Ciuitas superna ex angelis est & hominibus. 16.c
Clamor secretus intus est in desiderio. 16.c
Colit vnusquisque quod maximè diligit. 20.c
Conuenticula hæreticorum non spectant ad ecclesiã. 19.c d
Cor habere sursũ inter sacra mysteria iubemur. 9.d
Corda sursum habere quid sit. 8.f
Corpora nostra templũ sunt spiritus sancti. 15.f
Corpus Christi constat ex multis credentibus toto orbe terrarum. 19.c
Corpus & sanguis Christi vnicuique erit vita. 33.d
Corporis Christi vnitas tẽplum est dei. 19.b
Credere in Christum est diligere Christum. 19.b
D
Decem leprosi negligentiæ summæ arguuntur. 10.f
Defuncti fiunt etiam Eucharistiæ participes. 30. f qui nec à Christo nec ab ecclesia sunt separati. Ibi. &. 31.a & seq.
Dei est ea quæ offerũtur, benedicere. 18.d e
Deum derelinquere & à deo derelinqui nil peius potest esse homini. 7.a
Deum non pœnitet sicut hominem. 3.c
Deus colitur sacrificio laudis actionibusque gratiarum. 9.e f
Deus est vbique per præsentiam, sed non vbique per habitationis gratiam. 34.d
Deus exaudit vbi habitat. 11.c
Deus facit vt quę simplex erant creatura, fiãt sacramenta. 33.a
Deus factus est humilis vt homines fierent humiles. 1.b
Deus non solũ in principio creauit naturas rerum, sed quotidie reparat consumptas. 33.a b
Deus pater multos filios adoptauit, vt filius suus vnic' fratres haberet. 11.e
Deus qui vbique est præsens vbiq; agnoscit laudatorẽ suum. 11.c
Deus voluit mutare sacrificium quod cõstituerat secundũ ordinẽ Aaron. 3.c
Diuinitas sine humanitate sicut humanitas sine diuinitate non est mediatrix. 12.a
Dominus quomodo interpellat pro nobis. 12.d

Duæ

Duę personę satis exprimũtur expresso patre. 15.c

E

Ecclesia catholica fundatur in fide. 22.e
Ecclesia dicit̃ conuocatio, ꝗ oẽs ad se conuocet. 19.c d
Ecclesia hæreditas est dei. 7.b
Ecclesiæ in Christo tanta est vnitas sicut vna fides, vnũ baptisma. 24.f
Ecclesia dei viui tempora Christi venturi veniẽtisque discernit. 3.f
Ecclesia iugiter celebrando iugem memoriam domini & redẽptoris sui. 24.d
ecclesiã custodire idẽ quod regere, & pacificare idem quod adunare. 19.e f
Ecclesia militãs sicut & triũphãs laudat nomẽ domini. 12.e f
Ecclesia nihil salubrius agere potest quã beatæ Christi passionis mysteria frequentando. 26.f
Ecclesia nil melius optat sacerdoti, quàm quod sacerdos optat ecclesiæ. 7.d
Ecclesia petit pacem fieri in diebus nostris. 36.a b
Ecclesia petitiones & laudes suas offert deo patri per Christum. 12.a b
Ecclesia postulat suffragia sãctorum martyrum. 23.a
Ecclesiæ societati debent adunari quicumque volũt dei societati adunari. 22.d
Ecclesia tota orat cum sacerdote, non voce, sed corde. 34.b
Elementa & cætera insensibilia quomõ laudant dominum. 14.b c
Eucharistia dominica cœna vocatur. 5.f. eucharistiæ tamen sacrificiũ post cœnã celebrare nõ debemꝰ. 6.a
Eucharistia, id est, bona gratia. 37.c
Eucharistiæ institutio. 5.b c
Euchatistiæ effectus. 30.c d
Eucharistiæ sacrosãcta actio oratione dominica cõcluditur. 34.A
Eucharistiæ sacramẽtũ Christus vltimũ discipulis tradidit. 26.b. & quare. Ibid. & seq.

F

Facies dei super nos illuminata quid sit. 28.b
Fidem & deuotionẽ deo offerre verè est sacrificium salutare. 21.a
Fides vera quæ sit. 20.c d
Filius dei vnigenitus coæternus & coęqualis est patri. 11.e

G

Gratia dei quãta fuit in nos. 4.c d quam Christus ante passionẽ prędicauit in cœna ãte passionẽ instituit. d
Gratiarum actio patri luminum

num semper à nobis debetur. 9.c d
Gratias deo semper & vbique agere debemus. 10.f quod facit humilis corde. Ibidem.

H

Honor & gloria est deo patri per filium & cũ filio & in filio, in vnitate spiritus sancti. 33.e
Hostiam viuam deo placẽtẽ offerre possumus. 36.d
Humilis sit qui semper vult benedicere dominũ. 11.a
Humilitas maxime commẽdatur in mysterio corporis & sanguinis Christi.1.b.per quam solam ad deũ redire possibile est. Ibidẽ

I

Imago sacrificij Eucharistię in antiquis sacrificiis erat. 28.e
Imitari debemus quod agim⁹ qui passiõis dominicę mysteria celebram⁹. 32.e
Ingrati à domino reprobãtur. 10.e
Instaurantur quæ in terris,& quæ in cœlis sunt p Christum. 13.a
Ioannes cur in dominica cœna possionis Christi non meminit eucharistię,sicut cæteri tres euãgelistæ.5.b
Iob non habebat quæ teneret,sed habebat quod laudaret. 11.a
Iob non perdidit deũ, quãuis cętera perdiderit.11.b
Iudæorum non accipit deus sacrificium,sed nec illi offerunt. 2.f
Iustitia & æquitas vna res est. 10.d

L

Laudant deum omnes creaturæ eius. 14.b
Locus pacis est loc⁹ dei.37.a
Locus sanctus requirẽdus est ad deo gratias agendas. 11.c
Lunæ nouæ obseruatio vitæ nouæ sanctificatio. 2.d

M

Maiestas æqualis est quorũ vna & eadẽ est operatio. 33.c
Mala præterita præsentia & futura quæ sint. 35.b c
Maria semper virgo permanet. 22. e.& dei genitrix credenda est.Ibid.
Martyres conuallem plorationis intellexerunt. 9.a
Mediator dei & hominũ cur dictus est Christus. 6.e
Melchisedech quis & qualis fuerit. 1.c d
Merita nostra diuino iudicio cõparata sine dei venia non sufficiunt. 32.f
Misericordiæ tantæ dei vicem referre nõ possumus. 10.b
Missa intelligitur dimissio. 37.c

Mortis

Mortis Christi cõmemoratio est charitatis eius cõmendatio. 26.b
Mysteria multa in consecratione panis & vini. 29.b
Mysterium corporis & sanguinis Christi pro salute totius mũdi offertur. 1.a e
Mysterium est totum quod in oblatione corporis & sãguinis domini agiť. 25.f

N

Nescire dei reꝓbare est. 10.f
Nomina pro quibus offertur recitantur in missa. 20.e f

O

Oblata diuinis altarib⁹ munera appellantur, dona & sacrificia. 18.f
Ordines angelorũ qui sint, & eorum officia. 13.c.d & seq. 14.c
Orandi modus. 8.e f
Orandi modus pro defunctis. 31.f
Orans in tẽplo in te ora. 11.c
Orare oportet in pace & vnitate ecclesiæ aliàs non auditur. 19.b c
Oratio cordis occulta sæpi⁹ à deo exauditur. 11.c
Oratio & oblatio nõ potest deo offerri nisi per vnũ mediatorem. 20.d
Oratio nostra & gratiarum actio dirigitur ad patrem per Christum. 11.f. 12.a
Oratio sicut & adoratio sicut patri ita & filio defertur. 15.d
Orthodoxi rectæ gloriæ dicuntur. 20.c
Osanna, id est, salus in excelsis. 17.d e
Osculo sancto dicuntur salutare, qui non verbo sed veritate operatiõis. 37.a b

P

Pacem cum deo habere debem⁹ quicquid nobis cõtingat. 23.d e
Pacem & interiorẽ & exteriorem à deo petere debemus. 36.b c
Pacificare ecclesiam idẽ est quod adunare. 19.e f
Panis & calicis oblatio, mortis Christi est commemoratio. 26.a
Panis & calix ab initio Christi virtute & verbis consecratus est, sicut quotidie consecratur. 24.e
Panis & vini creatura in corpus & sanguinem Christi transfertur. 24.b
Panis sacramẽti Eucharistiæ quanti sit mysterij & efficaciæ. 27.e
Passio Christi cur diciť beata. 26.f
Pater ab initio per filiũ creauit hæc dona quæ sacris altaribus consecrantur. 33.a & per ipsum semper creat. c
Pater sine filio & spiritu sancto laudari nõ potest aut adorari.

adorari.14.e f.15.a & seq.
Pax Christi finem nō habet 36.f. & eius effect⁹. Ibid.
Pax vera vnitaté facit. 36.f
Pax quæ per angelos, episcopos, aut sacerdotes fidelib⁹ íprecaī, diuina est. 8. a. & fruct⁹ ei⁹ magn⁹. Ibi. b
Pax quædam iniquorum & non iustorum est. 36.c
Petitiones fidelium per passionis Christi commemorationé commendantur. 34.b
Pietas ptinet ad diuini cultus religionem. 36.b
Pœnitentia dei quæ sit. 3.c
Prędestinatio ab æterno disposita est à deo. 23.e
Purgatorij flammis detenti multipliciter possunt iuuari & liberari. 31.e.f

Q

Quies & tranquillitas pertinet ad pacem. 36.b

R

Ruth liber diuina & mystica continet. 7.a

S

Sabaoth vnum est de decem nominib⁹ dei. 17.a. interpretatur exercituum seu virtutum. ibidem. & b
Sacerdos in missa orat ad deum cum ecclesia. 34.c
Sacerdos orat pro ecclesia, & ecclesia pro sacerdote. 12.c
Sacerdos solus olim intrabat in iteriora veli 2.b.ae
Iudæi nesciebãt quid intus faciebat, sicut nec modo sciunt. Ibidem.
Sacerdotes Christi funguntur officio, ille maiestate diuinæ potestatis operatur. 24.e
Sacerdotes ecclesię offerũt, & per ipsos & in ipsis offert ecclesia. 21.d
Sacerdotium Christi perpetuo perseuerat in cœlo, Aaronis vero iam mutatũ est. 3.c.d
Sacerdoum est offerre, & maiestatem dei inuocare. 18.d
Sacerdotum ministerio adimpletur fide & deuotione aliorum agitur. 21.b
Sacraméta ante Christi aduentum obseruata, prænũciatiua erant Christi vēturi. 3. e. quæ ideo ablata sunt quia impleta. Ibidē.
Sacraméta ecclesię sine quibus ad vitam nō intratur. 26.a
Sacramentũ Eucharistiæ nō est nisi fidei & fidelium. 25 e
Sacrificia duo sunt, vnũ secundum ordinem Aarō, alterum secundum ordinem Melchisedech. 1.c
Sacrificij veri extra ecclesiam catholicā locus non est. 22.b

Sacrificio altaris iam Christus passus ostenditur. 3.f
Sacrificio Christi pacificantur cœlestia cum terrestribus. 13.a
Sacrificiorum veterum euacuatio. 2.e.f
Sacrificium Aaron sublatū est, quando cœpit esse sacrificium secundum ordinem Melchisedech. 1.d.3. b.c
Sacrificiū laudis oblatio est dominicæ passionis. 21.e
Sacrificium carnis & sanguinis Christi olim per victimas similitudinum promittebatur. 3.d.e
Sacrificium Christianorum in omni loco offertur. 3. a.b
Sacrificium quod sacrificat sacerdos, est corpus Christi, 23 b
Salem ciuitas olim erat quæ postea dicta est Hierusalem. 1.c
Salutatio episcopalis ad populum differt à salutatione sacerdotis. 7.f
Salutare dei est filius dei saluator mundi. 21.e
Salutare dicitur eo quod salutem conferat. 10.d
Salutare nihil aliud est q̃ salutem optare. 7.a
Sancti vnitate gaudēt & in Christo vnum sunt. 36.a
Sanctos & iustos semper patronos & intercessores quærimus. 22.f. qui etiam sciunt in cœlo petitiones nostras. 23.a
Sanguis Christi dicitur nouum testamentum. 25.c
Seculum cœpit à cōditione creaturæ. 33.e. & quid secula seculorum. f
Seraphin est summus ordo angelorum. 14. qui ardentes interpretantur. Ibid.
Sermonis repetitio est cōfirmatio veritatis. 10.d
Seruitus quam sacerdos exhibet deo, nulli alteri debetur. 23.c
Spiritum vitę non habet nisi qui in corpore Christi fuerit inuentus. 27.e
Spiritus huius mundi spiritus superbiæ est. 9.f
Spiritus sanctus pari adoratione ab angelis adoratur. 16.a b
Superbia olim tota hominū mortalitas tumebat. 1.b
Susanna cum iudicabatur tacebat, sed orabat. 34.b

T

Templum dei est vbi rogatur deus & exaudit. 19.b
Testamentū nouum cur dicitur æternum. 25.b.c
Tremor angelorum non timoris est, sed admirationis. 13.e
Trinitas tota adorat̃ ab angelis, & laudatur. 17.e

Trinitatis sanctæ sicut vna est diuinitas, ita æqualis honor, & indiuidua maiestas. 14.e

V

Velamen quomodo aufertur à corde 2.c

Veritatis cultor est, qui iungit fidei dilectioné. 20.c

Videntes dei claritaté nihil quod foris sit ignorant. 23.a

Voces angelorum laudantium deū in cœlis. 16.e.f

Vota nostra per Christū ad deum ascendunt per qué diuina dona ad nos descendunt. 20.d

FINIS.


Errata & lectiones variæ.

fo.1.pa.1.versu.16.tumuerat.pag.2.versu.23.lactesceret.24. fit.28.aliâs legitur, per humilitaté mãmillę & lactis succū.
fo.3.pag.1.versu.28.mansura.pag.2.versu.2.aliâs accedétes. versu.3 pro nobis.versu.19.aliâs, victimarū similitudiné.
fo.5.pag.2.versu.3.quod pro vobis tradetur.
fo.6.pag.1.versu.32.fere omnis.
fo.7.pag.2.versu.28,vestri.
fo.9.pag.2.versu.27.spiritum huius.
fo.12.pag.2.versu.penult.damna rep.
fo.14.pag.2.versu.3.numeri.versu.5.mutantur.
fo.15.pag.1.versu.28.duæ naturaliter.
fo.16.pag.2.versu.24.cœli.
fo.22.pag.2.versu.13.Pro ipsa.
fo.31.pag.2.in margine.August.cap.110.
fo.33.pag.1.versu.16.segetes.
fo.37.pag.1.versu.26.autem.

151

COMMENTARIOLVS IN

A *missæ canonem symbolicũs ex uariis tum orthodoxia, tum antiquitate uenerandis scriptoribus ecclesiasticis excerptus.*

N mysterio corporis & sanguinis domini nostri Iesu Christi, quod sancta ecclesia per vniuersum mundum pro eiusdem mũdi salute offert: maximè nobis humilitas commendatur. Viam enim nobis fecit idẽ dominus Iesus Christus per humilitatem. Quia per superbiã recesseramus à deo: redire aũt ad eum nisi per humilitatẽ non poteramus. Et quem nobis proponeremus ad imitandum non habebamus. Omnis enim mortalitas hominũ superbia tumebat. Et si exsisteret aliquis humilis vir in spiritu, sicut erant prophetæ & patriarchæ, dedignabatur genus humanum imitari humiles homines. Ne ergo dedignaretur homo imitari hominem humilẽ, deus factus est humilis. Vt vel sic superbia generis humani non dedignaretur sequi vestigia dei. Erant autẽ, vt legimus, sacrificia antea Iudæorũ secundum ordinem Aaron in victimis pecorũ, & hoc in mysterio: nõdum erat sacrificiũ corporis & sanguinis domini, quod nũc diffusum est toto orbe terrarum. Proponamus ergo nobis ante oculos duo sacrificia. & illud secundum ordinem Aaron, & hoc secundum ordinem Melchisedech. Scriptũ est enim: Iurauit dominus & nõ pœnitebit eum: tu es sacerdos in æternum secundum ordinem Melchisedech. Hoc autem manifestè dicitur de domino nostro Iesu Christo. Quis ergo erat Melchisedech? Vtique sicut legimus rex Salẽ. Salem ciuitas fuit antea illa, quæ postea (sicut docti prodiderunt) Hierusalem dicta est. Ergo antequam ibi regnarẽt Iudæi, ibi erat ille sacerdos Melchisedech, qui scribitur in Genesi sacerdos dei excelsi.

Margin notes: B (beside "eiusdem mũdi salute offert"); C (beside "mani non dedignaretur"); *Augustin.* (beside line 1); *Aug. trac. 25. ad cap. 6. Ioan.* (beside "mines. Ne ergo dedignaretur"); *Psal. 109.* (beside "dum ordinem Melchisedech. Scriptũ est enim"); *Gen. 14. d* (beside "cerdos Melchisedech, qui scribitur in Genesi").

excelsi. Ipse occurrit Abrahę quando liberauit Loth de manu persequētium: & prostrauit eos à quibus ille tenebatur, D
& liberauit fratrē. Post liberationē fratris occurrit ei, Melchisedech. Tantus erat Melchisedech, à quo benediceretur Abrahā. protulit panē & vinū, & benedixit Abrahā, & dedit ei decimas Abrahā. Vide quid protulit, & quem benedixit. Et dictū est postea: Tu es sacerdos secūdum ordinē Melchisedech. Dauid hoc in spiritu dixit, longè post Abrahā. Temporibus autē Abrahæ fuit Melchisedech. De quo ergo alio dicit: tu es sacerdos in æternum secundum ordinem Melchisedech, nisi de illo cuius nouimus sacrificium? Sublatum est enim sacrificium Aaron: & cœpit esse sacrificium secundum ordinem Melchisedech. Dominus itaque noster Iesus Christus in corpore & sanguine suo voluit esse salutem nostram. E
Vnde autem commendauit corpus & sanguinem suum? De humilitate sua. Nisi enim esset humilis, nec manducaretur, nec biberetur. Respice altitudinem ipsius. In principio erat verbum, & verbum erat apud deum, & deus erat verbū. (*Ioan. 1.*) Ecce cibus sempiternus. Sed manducāt angeli, manducant supernæ virtutes, manducant cœlestes spiritus. & manducant & saginantur: & integrū manet quod eos satiat & lætificat. Quis autem homo posset ad illum cibum? vnde cor tam idoneum illi cibo? Oportebat ergo vt mēsa illa cresceret, & ad paruulos perueniret. Vnde autem fit cibus lac, vnde cibus in lac conuertitur: nisi per carnem traiiciatur? Nam mater hoc facit. quod manducat mater, hoc manducat infans. F
Sed quia minus idoneus est infans qui pane vescatur, ipsum panem mater incarnat, & vtilitate mammillæ & lactis succo, de ipso pane pascit infantem. Quomodo ergo de ipso pane pauit nos sapientia dei? Quia verbum caro factum est, & habitauit in nobis. Vide ergo humilitatem: quia panem angelorum manducauit homo. Et scriptum est: Panem cœli dedit eis, panem angelorum manducauit homo. (*Psal. 77.*) Id est verbum illud quo pascuntur angeli sempiternum, quod est æquale patri, manducauit homo. Quia cùm in forma dei esset, non rapinam arbitratus est esse se æqualem deo. (*Philip. 2.*) Saginantur illo angeli. Sed semetipsum exinaniuit, vt manducaret panem angelorum homo.. Formam serui accipiens, in similitudine hominum factus, & habitu inuentus

uentus vt homo. Humiliauit ſe, factus obediens vſque ad
A mortem: mortem autem crucis. Vt iam de cruce commendaretur nobis caro & ſanguis domini, nouum ſacrificium. Ipſe ergo à deo domino miſſus ſacerdos noſter, aſſumpſit à nobis quod offerret deo. Illas ſanctas primitias carnis ex vtero virginis, holocauſtum obtulit deo. Extendit manus in cruce, vt diceret: Dirigatur oratio mea ſicut incenſum *Pſal.140.* in conſpectu tuo, eleuatio manuum mearum ſacrificium veſpertinum. Sicut nouimus, quia dominus circa veſperam pependit in cruce, & impietates noſtræ propiciatæ ſunt. Alioquin, abſorbuerant nos. Meritò illi cantamus in pſalmo: Et impietates noſtras tu propiciabis. Tu ſacerdos, tu *Pſal. 64.* victima, tu oblator, tu oblatio. Ipſe ſacerdos eſt, qui nunc ingreſſus eſt in interiora veli. Solus ibi ex his qui carnem
B geſtauerunt, interpellat pro nobis. In cuius rei figura, in illo primo populo, & in illo primo templo, vnus ſacerdos intrabat in ſancta ſanctorum: populus omnis foris ſtabat. Et ille qui ſolus ingrediebatur in interiora veli, offerebat ſacrificiū pro populo foris ſtante. Quid enim ageretur in illo populo, Iudæi neſcierunt: ſed nec modò ſciunt. De illis quippe dictum eſt: Quamdiu legitur Moyſes, velamen *2. Corin.3* ſupra cor eorum poſitum eſt. Ibi velamen figura eſt. Sed tolletur figura, & apparebit veritas. Sed quando tolletur velamen? Audi Apoſtolum: Cùm autem tranſieris ad dominum, auferetur velamen. Propiciatis ergo peccatis no-
C ſtris & impietatibus per illud ſacrificium veſpertinū, tranſimus ad dominum: & aufertur velamen. Propterea & domino crucifixo, velum templi ſciſſum eſt. Itaque nec car- *Matth.27* nem præputij circuncidimus iuxta ritum Moſaicæ legis: *Marc.15.* nec abſtinemus carnibus, quas eadem lex dicit immundas: *Luc.23.* nec ſabbata & neomenias & dies feſtos eorum carnaliter *Leuit. 12.* obſeruamus: nec victimas pecorum ſacrificamus deo: nec *Ibidem.11* paſcha in oue & azymis ſimiliter celebramus. & ſi qua alia fuerunt vetera ſacramenta. Quæ omnia vmbras futuro- *Colo.2.* rum appellat Apoſtolus. Quia ea ſignificabant ſuo tempore reuelanda, quæ nos reuelata percipimus. Vt remota vmbra nuda eorum luce frueremur. Nam & exuendo veterem hominem circuncidimur in expoliatione corporis carnis. Et quos cibos illi vitant in pecoribus, nos vitamus

in moribus. Et exhibemus corpora nostra, hostiam viuam, sanctam, deo placentem. Cui & animas nostras in desideriis sanctis, pro sanguine intelligenter effundimus. Et D
Christi velut agni immaculati sanguine, ab omni iniquitate mundamur. Qui propter similitudinem carnis peccati, etiam caprino pecore in veteribus sacrificiis figuratur. Nec eum negat in crucis cornibus taurum, qui in illo cognoscit maximam victimam. In illo requiem cùm inuenimus, verè sabbatizamus. Et lunæ nouæ obseruatio, vitæ nouæ est sanctificatio. Et pascha nostrum est Christus, & azy-
1. Corin. 5. mum nostrum sinceritas veritatis, fermentum non habens vetustatis. Et quæcunque alia illis veteribus adumbrata sunt signis, in isto habent finem, cuius regni non erit finis. In illo quippe omnia oportebat impleri, qui venit legem E
Matth. 5. & prophetas non soluere, sed implere. Proinde illa vetera signa rerum non euacuauit arguendo, sed implendo mutauit. Vt alia essent quæ nunciarent venisse iam Christum, quàm fuerant illa quæ prænunciabunt esse venturũ. Quoniam ergo sicut scriptum est in Cantico Canticorum: Ad-
Cantic. 4. spirauit dies: remoueãtur vmbræ. Spiritalis significatio iam lucescat, carnalis celebratio iam quiescat. Audiamus dominum, vetera Iudæorum sacrificia repudiantem, & nouum Christi sacrificium apertissimè promittentem, per Mala-
Malach. 1. chiam prophetam dicentem: Non est mihi voluntas in vobis dicit dominus: & munus non suscipiam de manu vestra. Ab ortu enim solis vsque ad occasum, magnum est no- F
men meum in gentibus, & in omni loco sacrificatur & offertur nomini meo oblatio munda: quia magnum nomen meum in gentibus, dicit dominus exercituum. Certè hîc negare non possunt Iudæi, non solùm illum non accipere sacrificium de manibus eorum: sed nec se illi offerre manibus suis. Locus enim vnus est lege domini constitutus, vbi manibus eorum sacrificia iussit offerri, præter quem locum omnino prohibuit. Hunc ergo locum quoniam pro suis meritis amiserunt: etiam sacrificium quod ibi tantum licebat offerri, in locis aliis offerre non audent. Ecce o-
Ibidem. mnimodo impletum est quod ait propheta: Et munus non suscipiam de manibus vestris. Neque hoc ita prædictum & impletum est, vt eos prophetica sententia respondere per-

mittat.

mittat. Quia manibus non offerimus carnem, corde & ore
A offerimus laudē, secūdum illud in psalmo: Immola deo sacrificium laudis. Etiam hinc enim cōtradicit eis qui dicit: Non est mihi voluntas in vobis. Deinde ne existiment Iudæi quòd illis non offerentibus, nec illo accipiente de manibus eorum, deo sacrificium non offeratur, quo quidē ille non eget, qui bonorū nostrorū nullius indiget. Tamē quia sine sacrificio non est, quod non illi, sed nobis vtile est: audiant ipsum dominum contestantē, imò aperiant oculos, & videant, quia ab ortu solis vsque ad occasum, non in vno, sicut illis fuerat cōstitutum, sed in omni loco offertur sacrificiū Christianorū. Nec cuilibet deo, sed ei qui ista prædixit deo Israel. Vnde alibi dicit ecclesiæ suæ: Et redēptor tuus Psal. 49.
B deus Israel, deus vniuersæ terræ vocabitur. Hoc sacrificium mundum offertur deo Israel, non ab vna gente Iudæorum, de cuius manibus non se accepturum prædixit, sed ab omnibus gentibus quæ dicunt: Venite ascendamus in mōtem domini. Nec in vno loco sicut præceptum erat in terrena Hierusalem, sed in omni loco vsque in ipsa Hierusalem. Nec secundum ordinem Aaron, sed secundum ordinem Melchisedech. Christo enim dictum, & de Christo tanto antè prędictum est: Iurauit dominus & non pœnitebit eum: tu es sacerdos in æternum secundum ordinem Melchisedech. Quid est iurauit dominus, nisi inconcussa veritate firmauit? Et quid est non pœnitebit eum, nisi hoc sacerdotiū nul
C la omnino ratione mutabit? Neq; enim sicut hominem, pœnitet deum, sed dei dicitur pœnitētia quamuis ab illo institutæ rei cuiusque mutatio, quæ credebatur esse mensura. Proinde cùm dicit, non pœnitebit eum, tu es sacerdos in æternum secundū ordinem Melchisedech, satis ostēdit eum pœnituisse, hoc est eum mutare voluisse sacerdotium, quod constituerat secundum ordinem Aaron. Sicut de vtroque videmus impletum. Nam & Aaron sacerdotium iam nullum est in aliquo templo: & Christi sacerdotium æternum perseuerat in cœlo. Hunc sacerdotem, & hoc nobis sacerdotium magnificè commendat Apostolus, cùm gratiam euangelij à legalibus cerimoniis distinguens, scribit ad Hebræos. Et alij quidam plures facti sunt sacerdotes, eò quod morte prohiberētur permanere. Hic autē eò quod maneat

Esa. 54. Ibidem. 2. Psal. 109. Hebr. 7.

in æternum, sempiternum habet sacerdotium. Vnde & saluare in perpetuum potest, accedens per semetipsum ad deum: semper viuens ad interpellandum pro eis. Talis enim decebat vt nobis esset pontifex sanctus, innocens, impollutus, segregatus à peccatoribus, & excelsior cœlis factus. Qui non haberet quotidie necessitatem quemadmodum sacerdotes, primò pro suis peccatis hostias offerre: deinde pro populi. Hoc enim fecit semel se offerendo. Et iterum: Talem habemus pontificem, qui consedit ad dexteram maiestatis in cœlis. Sanctorum minister, & tabernaculi veri, quod fixit dominus & non homo. Sancti ergo patres nostri in veteri testamento, vni deo creatori omnium victimas obtulerunt. Quas sibiipse offerri voluit, per earum similitudinem promittens victimam veram, per quam nos sibi peccatorum remissione reconciliauit in Christo Iesu domino nostro: vt ei offerretur similitudo promittens veritatem sacrificij, cui erat offerenda ipsa reddita veritas in passione corporis & sanguinis Christi. Huius sacrificij caro & sanguis, ante aduentum Christi per victimas similitudinum promittebatur. In passione Christi, per ipsam veritatem reddebatur. Post ascensum Christi, per sacramentum memoriæ celebratur. Proinde prima sacramenta quæ obseruabantur & celebrabantur ex lege, prænunciatiua erant Christi venturi.. Quæ cùm suo aduentu Christus impleuisset, ablata sunt. Et ideo ablata, quia impleta. Non enim venit legem soluere, sed adimplere. Et alia sunt instituta virtute maiora, vtilitate meliora, actu faciliora, numero pauciora. Tanquam iustitia fidei reuelata, & in libertatem vocatis filiis dei, iugo seruitutis ablato, quod duro & carni dedito populo congruebat. Qualia sunt in ecclesia baptismus Christi, eucharistia Christi, signaculum Christi. Hinc est, quod cautissimo diuisionis ordine ecclesia dei viui, quæ est columna & firmamẽtum veritatis tempora venturi Christi venientísque discernit. Et omissis sacrificiis quibus Christus passurus promittebatur, hoc sacrificium offert, quo Christus iam passus ostenditur. Qui propterea verus est sacerdos: quia semetipsum veram pro nobis hostiam obtulit: sicut Apostolus testatur dicens: Estote ergo imitatores dei sicut filij charissimi, & ambulate

Margin notes: D; *Hebra. 8.*; E; *Matth. 5.*; F; *Fulgentius*; *Ephe. 5.*

ambulate in dilectione sicut & Christus dilexit nos : &
A tradidit semet ipsum pro nobis oblationem & hostiã deo
in odorem suauitatis:vt in ipso sacerdote ac sacrificio,fie- *Augu.cap. 22.lib.10. de ciuitate dei.*
ret remissio peccatorum, id est, per mediatorem dei & ho
minum,hominem Christum Iesum:per quem facta pecca-
torum purgatione,reconciliamur deo. Non enim nisi pec-
catis homines separantur à deo . Quorum in hac vita non
fit nostra virtute,sed diuina miseratione purgatio : per in-
dulgentiam illius,non per nostram potentiam:quia & ipsa
quantulacumque virtus,quæ dicitur nostra, illius est nobis
bonitate concessa multum autem nobis in hac carne tri-
bueremus,nisi vsque ad eius depositionem sub venia viue-
remus . Propterea ergo nobis per mediatorem pręstita est
B gratia: vt polluti carne peccati,carnis peccati similitudine
mundaremur:per hoc scilicet quod eramus, & nõ eramus.
Eramus enim homines,sed iusti non eramus. In illius autẽ *Augu.cap. 24.li. 10. de ciuitate*
incarnatione natura humana erat, sed iusta,non peccatrix
erat. Hæc est mediatio,qua manus lapsis iacentibúsq; por-
recta est. Hoc est semen dispositum per angelos , in quorũ
edictis & lex dabatur. Qua & vnus deus coli iubebatur,&
hic mediator venturus promittebatur . Huius sacramenti
fide, etiam iusti antiqui mundari piè viuendo meruerunt:
sicut beatus Petrus apostolus ad quosdam qui in lege iu-
stificari quærebant,manifestè testatur dicens: Quid tenta- *Acto.15.*
tis dominum , imponere iugum super ceruices discipulo-
C rum,quod neque nos neq; patres nostri portare potuimus?
sed per fidem domini Iesu credimus saluari quemadmodũ
& illi. Omnis itaque hominum multitudo , propter quos à
dæmonum dominatu liberandos Christus aduẽnit, in illo
habent misericordissimam purgationem, & mentis & spi-
ritus & corporis sui. Propterea quippe totum hominem si-
ne peccato ille suscepit:vt totum quo constat homo,à pec-
catorum peste sanaret . Gratia quippe dei non potuit gra-
tius commendari quàm vt ipse vnicus dei filius in se incõ-
mutabiliter manens indueretur hominem , & spem dile-
ctionis suæ donaret hominibus,homine medio, qua ad il-
lum ab hominibus veniretur . Qui tam longè erat immor-
talis à mortalibus, incommutabilis à commutabilibus, iu-
stus ab impiis , beatus à miseris . Et quia naturaliter indi-

dit nobis,vt beati immortalésque esse cupiamus, manens
beatus suscipiénsque mortalem:vt nobis tribueret quod a- D
mamus, perpetiendo docuit contemnere quod timemus.
Hac dei gratia qua in nos ostendit magnam misericordiã
suam,& in hac vita per fidem regimur: & post hanc vitam
per ipsam speciem incommutabilis veritatis, ad perfectio-
Seuerian⁹ nem plenissimam perducemur. Hanc igitur gratiam pur-
gationis & redemptionis nostræ, quam nobis dominus &
saluator in sacramento sui corporis & sanguinis cõmen-
dauit, longè antequàm pateretur, in populis prædicauit:
sed pridie q̃ pateretur, id est ea nocte qua tradebatur, in
Ioan.6. cœna discipulis tradidit. Nam beatus Ioannes euangelista
statim post illud de quinque panibus miraculũ,quo quinq;
milia hominum satiata sunt, narrat eum fugisse in mon- E
tem, declinando videlicet à turbis: quæ tanti signi admi-
ratione permotę,cupiebant rapere & facere eum regem. Et
mox superueniente nocte,ambulantem super mare venis-
se Capharnaum:atque ibi iam die altera occurrentibus si-
bi turbis,& inter alia quærentibus & dicentibus: quid fa-
ciemus,vt operemur opera dei,respondisse eis. Hoc est o-
pus dei, vt credatis in eum quem misit ille. Cumque re-
spondissent ei:quod ergo tu facis signũ,vt videamus & cre
damus tibi,quid operaris.patres nostri mãducauerunt mã
Exo.16. na in deserto,sicut scriptum est. Panem de cœlo dedit eis
Nu.11. manducare. Dixit eis Iesus. Amen amen dico vobis, non
Psal.77. Moyses dedit vobis panẽ de cœlo: sed pater meus dat vo- F
bis panem de cœlo verum. Panis enim dei est, qui descẽ-
dit de cœlo:& dat vitam mundo. Et post paululũ. Ego sum
Ioan.6. panis vitę. Qui venit ad me,nõ esuriet:& qui credit in me,
non sitiet vnquam. Et iterum, Amen amen dico vobis, qui
credit in me:habet vitam æternam. Ego sum panis vitæ. Pa
tres vestri mãducauerunt in deserto mãna, & mortui sunt.
Hic est panis de cœlo descendens: vt si quis ex ipso man-
ducauerit non moriatur. Ego sum panis viuus qui de cœlo
descendi. Si quis manducauerit ex hoc pane, viuet in æ-
ternum. Et panis quem ego dabo, caro mea est pro mundi
Ioan.6. vita. Et rursum post aliqua. Amen amen dico vobis,nisi mã
ducaueritis carnem filij hominis, & biberitis eius sangui-
nẽ,non habebitis vitã in vobis. Qui manducat meã carnẽ,
& bibit

& bibit meum ſanguiné,habet vitã æternã: & ego reſuſci-
tabo eũ in nouiſſimo die. Caro enim mea verè eſt cibus,&
A ſanguis meus verè eſt potus. Qui manducat meã carnem
& bibit meũ ſanguiné,in me manet & ego in illo. Sicut mi-
ſit me viuens pater,& ego viuo propter patré. Et qui man-
ducat me,& ipſe viuet propter me. Poſt hæc ſubiungit euã
geliſta: Hęc dixit in ſynagoga docés in Capharnaũ. Quod
totũ ſicut ipſe euangelij ſecundũ Ioanné textus oſtendit,
manifeſtè anno integro ante paſſiomé domini geſtum eſt.
Nã ſicut idé euangeliſta ſcribit, quando illud de quinq; pa Ioan.6.
nibus miraculũ factũ eſt, proximũ erat paſcha dies feſtus
Iudæorũ. Nec tamen in ipſo,ſed in paſcha anni ſequentis,
eũ ad paſſioné veniſſe commemorat. Hinc eſt quod in illa Ioã.12.&
B cœna paſchali quando dominus traditus eſt, nihil de iſto 13.
corporis & ſanguinis eius myſterio idé beatus Ioãnes cõ- Ioan.13.
memorat: quia videlicet copioſius hoc & ſublimius in præ
cedentibus euãgelij ſui partibus explicauerat. Et à reliquis
tribus euãgeliſtis, quod in eadé cœna in cõmemorationé
dominicę paſſionis ad ſaluté fideliũ fuerat traditũ,diligé-
ter nouerat cõmendatũ. Verba quippe Matthæi hæc ſunt: Mat.26.
Cœnãtibus auté eis accepit Ieſus pané & benedixit ac fre-
git, dedítq; diſcipulis ſuis,& ait: Accipite & comedite,hoc
eſt corpus meũ. Et accipiés calicé,gratias egit, & dedit illis
dicens: Bibite ex hoc omnes. Hic eſt enim ſanguis meus no
ui teſtaméti, qui pro multis effundetur in remiſſioné pec-
C catorũ. Marcus verò ſic ait. Et mãducantibus illis, accepit Mar.14.
Ieſus pané, & benedicés fregit, & dedit eis & ait. Sumi-
te,hoc eſt corpus meũ. Et accepto calice gratias agens de-
dit eis,& biberũt ex illo omnes. Et ait illis: Hic eſt ſanguis
meus noui teſtaméti,qui pro multis effunditur. Lucæ verò Lu.22.
his verbis narratio explicatur. Et accepto calice, gratias e-
git,& dixit: Accipite, & diuidite inter vos. Dico enim vo-
bis,ꝙ nõ bibã de generatiõe vitis,donec regnũ dei veniat.
Et accepto pane gratias egit, & fregit & dedit eis dicens.
Hoc eſt corpus meum,quod pro vobis datur: hoc facite in
meã cõmemorationem. Similiter & calicé, poſtq̃ cœnauit
dicés: Hic calix nouũ teſtamentũ eſt in ſanguine meo, qui
pro vobis funditur. Beatus etiã Paulus cõmemorans ſacra-
tiſſimũ illius cœnæ myſteriũ,inter alia ſic dicit: Ego enim 1.Cor.11.
accepi

accepi à domino, quod & tradidi vobis. Quoniam domin⁹ Iesus in qua nocte tradebatur, accepit panem, & gratias agens fregit, & dixit: Hoc est corpus meum pro vobis, hoc facite in meam commemorationem. Similiter & calicem post quàm cœnauit dicens: Hic calix nouum testamentum est in meo sanguine Hoc facite, quotiescumque bibetis in meam commemorationem. Quantũ est istud & quàm ineffabile salutis mysterium & pietatis sacramẽtum, tanta cõtestatione prædictum, tanta veritate commendatum. Vt prius hoc dominus corpus & sanguinẽ suũ assereret, quàm pro nobis suũ corpus & sanguinem traderet. Nemo enim potest passionis domini corporisq́ue eius & sanguinis pro maiestate rei sacramenta cognoscere. Notandum quoque diligenter ꝙ in eadẽ cœna & Iudaicũ dominus pascha comedit, quod oportebat auferri: & sacramentũ corporis sui & sanguinis dedit, quod ad salutẽ fideliũ oportebat institui. Desiderio (inquit) desideraui hoc pascha mãducare vobiscũ anteq̃ patiar. Manducauit ergo pascha quo passurus significabatur, anteq̃ pro nobis voluntariè pateretur. Comedit pascha Iudæorũ, quo promissus est Christus: vt veniret ad pascha nostrũ, quod immolatus est Christus. Apertè autẽ euangeliũ dicat, ꝙ manducantibus illis accepit Iesus panẽ & benedixit. Cũ etiã superius dixisset: Cùm sero autẽ factũ esset, discumbebat cũ duodecim, & manducantibus dixit; quoniam vnus ex vobis tradet me. pòst enim tradidit sacramentum. Vnde liquidò apparet, quando primò acceperunt discipuli corpus & sanguinem domini, non eos accepisse ieiunos. Nequaquã tamen propterea calumniãdũ est vniuersæ ecclesiæ, ꝙ à ieiunis semper accipitur. Ex hoc enĩ placuit spiritui sancto, vt in honorẽ tanti sacramẽti, in os Christiani prius dominicũ corp⁹ intraret q̃ cęteri cibi. Nã ideo per vniuersum orbẽ mos iste seruatur. Neque enim quia post cibos dedit dominus, propterea pransi aut cœnati fratres, ad illud sacramentũ accipiendũ conuenire debebunt. Aut sicut faciebãt, quos apostolus arguit & emẽdat, mensis suis ista miscere. Ait enĩ: Cõuenientibus vobis in vnũ, iã non est cœnã dominicã manducare. Hanc ipsam acceptionẽ eucharistiæ, dominicã cœnã vocans. Vnusquisque enim (inquit) suã cœnã præoccupat ad manducandũ. Vnde

Isido cap. 28. lib. 1. de ecclesiasticis officiis. Fulgenti⁹. Luc. 22. Matt. 26. *Aug. epistola. 118. ad Ianuariũ cap. 6.* 1. Cor. 11.

D E F

Vnde & indignè dicit acceptũ ab eis,qui hoc nõ discernebant à cæteris cibis veneratione singulariter debita.Cõti-
A nuò quippe cũ dixisset:iudiciũ sibi manducat & bibit,subiecit,nõ diiudicans corpus.Nãq; saluator,quò vehementi⁹ cõmendaret mysterij illius altitudinem, vltimum hoc voluit infigere cordib⁹ & memoriæ discipulorũ, à quibus ad passionẽ digressurus erat. Et ideo nõ præcepit quo deinceps ordine sumeretur, vt apostolis per quos ordinare ecclesias disposuerat,seruaret hunc locũ.Neq; enim,quia post cœnã calicẽ obtulit dominus, etiã dominici diei sacrificiũ post cœnã celebrare debemus.Christum offerre oportebat circa vesperã diei: vt hora ipsa sacrificij ostenderet occasum & vesperã mũdi.Sicut de paschali agno,in Exodo scri-
B ptũ est:Et immolabit eũ omnis multitudo filiorũ Israël ad vesperũ:Et iterũ in psalmis: Alleuatio manuũ mearum, sacrificiũ vespertinũ. Nos autẽ resurrectionẽ domini mane celebramus. Cũ verò ait apostolus de hoc sacramento loquens:propter quod fratres cũ conuenitis ad manducandũ inuicẽ,expectate.Si quis esurit,domi mãducet:vt nõ in iudiciũ conueniatis,statim subtexuit: Cætera aũt cũ venero, ordinabo.Vnde intelligi datur, quia multũ erat vt in epistola totũ illis agendi ordinẽ insinuaret, quẽ vniuersa p orbẽ seruat ecclesia ab ipso ordinatũ esse quod nulla horũ diuersitate variatur.Nã & vbi ad Timotheũ scribẽs ait: Obsecro itaque primò omnium fieri obsecrationes, orationes,
C interpellationes, gratiarũ actiones, hoc cõstituisse intelligitur,ꝙ omnis,vel pene omnis frequentat ecclesia. Vt obsecrationes accipiamus dictas, quæ fiunt in celebratione sacramẽtorũ,anteq̃ illud quod est in domini mensa incipiebat benedici.Orationes,cũ benedicitur & sanctificatur, & ad distribuẽdum comminuitur Quam totam benedictionem ferre omnis ecclesia dominica oratione cõcludit. Interpellationes autẽ siue vt quidã codices habent, postulationes fiunt,cũ populus benedicitur. Tunc enim antistites velut aduocati susceptos suos per manus impositionẽ misericordissimæ offerũt potestati. Quib⁹ peractis & participato tãto sacramẽto gratiarũ actio cũcta cõcludit. Quã in his etiã verbis vltimã cõmendauit apostolus.Hæc aũt caussa præcipua fuit ista dicẽdi vt his breuiter præscriptis atq; signifi-

Cypri.epistola.3. li. 2. ad Cæcilium.
Exo.12.
Psal.140.
Augustin⁹
1. Cor.11.
1.Timo.2.

significatis non putaretur negligendum esse quod sequi-
1.Timo. 2. tur. Pro omnibus hominibus, pro regibus & his qui in subli D
mitate sunt, vt quietam & tranquillam vitam agamus in o-
mni pietate & castitate. Ne quisquam sicut se habet huma-
næ cogitationis infirmitas, æstimaret non esse ista facienda
pro his, à quibus persecutionem patiebatur ecclesia. Cùm
membra Christi ex omni essent hominum genere colligē-
da. Vnde adiungit & dicit. Hoc enim bonum est & acceptū
coram saluatore nostro deo, qui omnes homines vult saluos
fieri & in agnitionem veritatis venire. & ne quisquam di-
ceret posse esse salutis viam in bona conuersatione & vnius
dei omnipotentis cultu sine participatione corporis & san-
guinis Christi, vnus enim de' inquit, & vnus mediator dei
& hominum homo Christus Iesus. Vt illud quod dixerat, o- E
mnes homines vult saluos fieri: nullo alio modo intelliga-
tur præstari, nisi per mediatorem. Non deum, quod semper
erat verbum, sed hominem Christum Iesum: cùm verbum
caro factum est, & habitauit in nobis. Ideo enim Christus,
mediator dei & hominum dictus est. Inter deum immor-
talem & hominem mortalem, deus & homo, reconcilians
hominem deo. Verus rex, verus sacerdos. Ne ergo peccet
homo, à rege Christo regatur. Si forte peccauerit, ab eodē
Seuerian' sacerdote Christo expietur. Primò igitur conuenientibus
in vnum & adstantibus in domo dei fidelibus, præcedēte
modulatione diuinarum laudum, precedente lectione apo- F
stolorum & euangeliorum, præcedente etiam nonnunquā
sermone & allocutione magistrorum subiuncta quoq; sym
boli confessione & oblatione populorum, & initiata con-
secratione sacramentorum, in quibus omnibus mensa ad-
stantium ad diuina & cœlestia cogitanda ac desideranda
præparatur: assistit sacerdos altari, & celebraturus diuina
mysteria ecclesiam salutando orat, & orando salutat dicēs:

Dominus vobiscum. Qui salutationis sermo, nō humano ar-
bitrio cōpositus, sed ex diuinæ scripturæ authoritate sum-
ptus probatur, vbi frequenter & singulariter & pluraliter
positus legitur. Singulariter, sicut ait angelus ad beatā Ma-
Luc.1. riam. Aue gratia plena, dominus tecum. Et sicut ad Gedeo-
Iudi.6. nem, similiter angelus salutando dixit. Dominus tecum vi-
Ruth. 2. rorum fortissime. Pluraliter autem sicut in libro Ruth qui
vtique

vtique ſicut & cæteri ſacræ ſcripturæ libri diuina & myſti-
ca continet. Legitur Booz ſalutãdo dixiſſe meſſoribus ſuis:
A Dominus vobiſcum. Cui & ipſi reſalutantes dixerunt: be-
nedicat tibi dominus. Et ſicut in hiſtoria libri Paralipo-
menon propheta à deo miſſus inuenitur ſalutaſſe Aſa regẽ
Iuda cum exercitu ſuo, inuocato dei auxilio victores de
prælio reuertentes. Ait enim: Dominus vobiſcum, quia fui- *2. Para. 15*
ſtis cum eo. Et addidit: Si quæſieritis eum, inuenietis: ſi au-
tem dereliqueritis illum, derelinquet vos. Vnde apparet,
quia ſicut nihil peius poteſt eſſe homini quàm derelinque-
re deum, & derelinqui à deo: ita è contrario nihil melius,
quàm habere deum & eſſe cum deo. & quia ſalutare nihil
eſt aliud, quàm ſalutem optare. Hæc eſt vera ſalutatio, id eſt
B veræ ſalutis optatio, vt dominus ſit cum eccleſia ſua tan-
quàm in templo ſuo, cui dicit apoſtolus: templũ enim dei *1. Corin. 3.*
ſanctũ eſt quod eſtis vos. Et eccleſia habeat dominũ ſecũ,
inhabitantem & inluminantem, regentem & protegentẽ.
Vt ille ſit ei deus, & illa ſit ei populus. Sicut per prophetã *Leui. 26.*
promittit dicens: Et inhabitabo & inambulabo in illis: &
ero eis deus & ipſi erunt mihi populus. Vt dum tantæ bea-
titudinis dono eccleſia dei & poſſidet deum & poſſidetur
à deo, quatinus & ipſa ſit hæreditas domini & dominus pars
hæreditatis eius, impleatur in illa quod pſalmiſta ait. Beata *Pſal. 32.*
gens cuius eſt dominus deus eorũ, populus quẽ elegit in hę
reditatem ſibi. Hoc eſt enim ſummum hominis bonum: poſ
C ſidere deum, & poſſideri à deo. Ipſum ſolum diligere, & illi
ſoli ſeruire, illi ſoli adhærere. Vt dicat illi anima deuota: *Pſal. 72.*
mihi autem adhærere deo bonum eſt. Et iterum. Adhæſit *Pſal. 62.*
anima mea poſt te. Vt adhærens domino, vnus cum eo ſpi-
ritus fiat. Dicente Apoſtolo: Qui adhæret domino, vnus ſpi *1. Corin. 6*
ritus eſt. Nam & ipſe Apoſtolus in epiſtolis ſuis frequenter
ita ſalutat eccleſias. Vt aliquando dicat, dominus cum om-
nibus vobis. Aliquando, deus autem pacis ſit cum omnibus *Roma. 15.*
vobis. Item aliquando, gratia domini noſtri Ieſu Chriſti ſit *Gala. 6.*
cum ſpiritu veſtro fratres, amen. Aliquando autẽ: Dominus *Philip. 4.*
Ieſus Chriſtus cũ ſpiritu veſtro, fratres amẽ. Et nonnũquã
ſub diſtinctione perſonarũ totã inuocans trinitatẽ, ita ſalu- *2. Cor. 13.*
tat. Gratia domini noſtri Ieſu Chriſti, & charitas dei, & cõ-
municatio ſancti ſpiritus ſit cum omnibus vobis. In quibus
omni-

omnibus,hoc optat fidelibus ſcribens,quòd ſacerdos ad al-
tare aſſiſtens.videlicet vt habentes deum,non deſerātur ab D
eo. Rectè ergo eccleſia tam ſalubri ſalutatione ſacerdotis
accepta,& ipſa reſalutando orat,& orando reſalutat ſacer-
dotem dicēs: Et cū ſpiritu tuo.Nihil enim melius inuenit
eccleſia quod optet ſacerdoti,niſi quod ſacerdos optat ec-
cleſiæ. Id eſt vt idem dominus qui dignatur eſſe cum ec-
cleſia,dignetur eſſe etiam cum ſpiritu ſacerdotis. Ac ſic in
vtroq;,benigna illa domini promiſſio impleatur, qua aſcē-
Matt. 28. ſurus in cœlum omnibus fidelibus promiſit dicens:Ecce e-
go vobiſcum ſum omnibus diebus,vſque ad conſummatio-
nem ſeculi. Hoc ergo tantum bonum ſibi inuicem optāt &
poſtulant,& ſacerdos eccleſiæ, & eccleſia ſacerdoti. Vt vi-
delicet aſſiduè eius gratia inluminati, eius præſentia con- E
fortati,eius protectione muniti,ſemper eum manere nobi-
ſcum quemadmodum eſt pollicitus,ſentiamus . Hoc etiam
modo,aliquotiens ſalutat apoſtolus. Et pluraliter, vt ſupe-
rius memorauimus, vbi ait:dominus Ieſus Chriſtus cū ſpi-
*Gala.*6. ritu veſtro fratres, amen. Et ſingulariter , vbi ad Timo-
2.*Tim.* 4 theum ſalutans dicit : dominus Ieſus Chriſtus cum ſpiritu
tuo,amen. Et bene dominus cū ſpiritu hominis eſſe opta-
tur.Quia in ſpiritu & mente rationali creatus eſt homo ad
imaginem & ſimilitudinē dei:& ibi eſt capax diuinæ gra-
tiæ & inluminationis.Vt inquantum ei datur, poſſit ſenti-
re dulcedinem ſuauitatis & ſplendorem præſentiæ eius.vt
*Pſal.*33. fiat in eo illud quod pſalmiſta ait:Guſtate & videte,quoniā F
*Pſal.*33. ſuauis eſt dominus.Et iterum: Accedite ad eum & inlumi-
namini:& vultus noſtri non erubeſcēt.Sic namque ſancti-
ficato ſpiritu hominis per inhabitationē dei, efficitur ho-
1.*Corin.*6 mo etiam in corpore tēplū dei . Vnde ait Apoſtolus: Cor-
pora veſtra templum eſt ſpiritus ſancti, quē habetis à deo.
Sed & illa ſalutatio epiſcopalis ad populū qua dicitur : pax
vobiſcum,ſiue pax vobis,ſimiliter non humano ſenſu inuē-
ta:ſed de ſcripturæ ſanctæ authoritate ſumpta eſt. Nam &
in veteri teſtamento inuenitur dixiſſe angelus Danieli
*Danie.*10. prophetæ:Noli timere vir deſideriorum,pax tibi: confor-
tare & eſto robuſtus. Et in nouo id eſt in euangelio, penè
*Luca.*24. ſemper ita dominus legitur apoſtolos ſalutaſſe ,dicendo:
Ioan. 20 pax vobis. Et eiſdem apoſtolis, eandem ſalutationis formā
com-

commendauit dicens: In quãcunque autem domum intra- *Matt. 10.*
A ueritis, salutate eam dicentes, pax huic domui. Et si ibi fuerit filius pacis, requiescet pax vestra super illum. Sin autem, pax vestra ad vos reuertetur. Meritò ergo & apostolorum successores, id est ecclesiarum præsules hac salutatione vtũtur domum dei salutantes, vbi omnes oportet esse filios pa- *Matt. 5.*
cis. Beati enim pacifici, quoniam ipsi filij dei vocabuntur. Vt salutatio pacis super eos requiescens, & salutantibus & salutatis possit esse fructuosa. pax autem quę siue per angelum, siue per dominum, siue per pastores ecclesiarum fidelibus imprecatur, non est mundana aut caduca, sed diuina & æterna: quæ nos deo conciliat, & contra tẽtationes diaboli atque aduersitates seculi, ipsius protectione munitos,
B tranquilla proximis charitate coniungit. Hanc enim domi- *Ioan. 14.*
nus ecclesiæ suæ commendauit dicens: Pacem relinquo vobis, pacem meã do vobis. Et continuò subiunxit: Non quomodo hic mundus dat, ego do vobis. De hac iterum dicit: *Ioan. 16.*
Hæc loquutus sum vobis, vt in me pacem habeatis. In mundo pressuram habebitis. Sed confidite, ego vici mundum. *Philip. 4.*
Hanc & apostolus fidelibus implorat dicẽs: Et pax dei quæ exsuperat omnem sensum, custodiat corda vestra & intelligentias vestras in Christo Iesu. Quæ pax si oĩ tẽpore seruanda est & vbique fideliter tenenda: quanto attentius & deuotius ea hora cùm in domo domini & in cõspectu dei assistitur, & vota vel munera omnium sacris altaribus offe-
C runtur. Quando aliter diuinam maiestatem nobis propiciare non possumus: nisi sincero charitatis affectu illud implere studeamus, quod de hac re specialiter dominus præ- *Matth. 5.*
cepit dicens: Si offerẽs munus tuum ad altare, & ibi recordat⁹ fueris quia frater tuus habet aliquid aduersum te: relinque ibi munus tuum ad altare, & vade prius reconciliare fratri tuo, & tunc veniẽs offeres munus tuum. Qua in re *Gregorius*
pensandũ est, cùm omnis culpa munere soluatur quàm, grauis est culpa discordiæ, pro qua nec munus accipitur. Debemus itaque ad proximum quamuis longè positum, longéq; disiunctum mente ire, eique animum subdere, humilitate illum ac beneuolentia placare. Et videlicet cõditor noster dum tale placitum nostræ mentis aspexerit, à peccato nos soluit: quia munus pro culpa sumit. Veritatis autem voce testante

testante didicimus, quia seruus qui decem milia talenta debebat, cum pœnitentiam ageret, absolutionem debiti à domino accepit. Sed quia conseruo suo centum sibi denarios debenti debitum non dimisit: & hoc est iussus exigi, quod ei fuerat iam dimissum. Ex quibus videlicet dictis constat, quia si hoc quod in nos delìquitur, ex corde nõ dimittim᷑: & illud rursus exigitur, quod nobis iam per pœnitentiã dimissum fuisse gaudebamus. Summopere autem necesse est, vt quando stamus ad orationem, quando tam sancta & venerãda mysteria sub oculis dei gerũtur, toto corde ad precandum inuigilemus. Cogitatio omnis carnalis & secularis abscedat: nec quidquam animus, quàm id solum cogitet, quod precatur. Ideo & sacerdos, ante illam sacrosanctã orationem præfatione præmissa, parat fratrum mentes dicendo: *Sursum corda*. Vt dum respondet plebs, *Habemus ad dominum*, admoneatur nihil aliud se quàm dominum cogitare debere. Claudatur contra aduersarium pectus, & soli deo pateat. Nec ad se adire hostem dei tempore orationis patiatur. Obrepit enim frequenter & penetrat, & subtiliter fallens preces nostras à deo auocat: vt aliud habeamus in corde, aliud in voce. Quando intentione sincera dominum non vocis sonus, sed animus & sensus debeat orare: quasi sit aliud quod magis cogitare debeamus, quàm quod cum deo loquimur. Quomodo audiri à deo postulamus, cùm nos ipsi non audiamus? Volumus esse deum memorem nostri, quãdo nostri memores ipsi non simus. Hoc est quando oramus deum, maiestatem dei negligentia orationis offendere, hoc est vigilare oculis & corde dormire. Cùm debeat Christianus, etiam cùm dormit oculis, corde vigilare. Sicut scriptũ est ex persona ecclesiæ, loquentis in Cantico Canticorum. Ego dormio, & cor meum vigilat. Quapropter, sollicitè & cautè apostolus admonet dicens: Instate orationi, vigilãtes in ea. Docẽs scilicet & ostẽdens eos impetrare quod postulãt de deo posse, quos ipse videt in oratione vigilare. Quid est ergo sursum habere corda, nisi ea quę sursum sunt quærere, quę sursũ sunt sapere. quęrere videlicet amãdo, sapere intelligẽdo. Sicut apostol᷑, eodẽ sermone admonet dicẽs. Si cõsurrexistis cũ Christo, quæ sursũ sunt, quęrite, vbi Christ᷑ est in dextera dei sedẽs. Quæ sursũ sunt sapite, non quæ

Cyp. sermone 6. de oratiõe dominica.

Cantic. 5.

Coloss. 4.

Seuerian᷑

Coloss. 3.

D E F

à con-

super terram. Hunc ascensum cordis nostri, qui fit ad deum Aug. in enar. Psal. 83.
A à conualle plorationis, id est ab humilitate contribulationis, non nostris viribus sed auxilio dei, ostendit nobis Psalmista dicens: Beatus vir cuius est auxilium abs te: ascẽsiones in corde suo disposuit in valle lachrymarum. Ascensus enim vtilis nobis, non potest esse nisi primò humilitatis. A conualle nobis ascendendum esse meminerimus. Conuallis enim, locus est terræ depressus. Docuit ipse dominus à conualle plorationis ascendendum, quando pro nobis humiliari vsq; ad mortẽ crucis & pati dignatus est. Hoc exẽplum non relinquamus. Istã conuallẽ plorationis martyres intellexerunt, & inde vt coronarẽtur ascenderũt. Amor sanctus ad superna eleuat, & ad æterna inflãmat. Obligata enĩ
B anima amore terreno, quasi viscũ habet in pẽnis, volare nõ potest. Mundata verò ab affectibus sordidissimis seculi tãquam extentis pennis & duabus alis resolutis, id est duob⁹ præceptis dilectionis dei & dilectionis ꝓximi, volat ad dominũ. Ascẽdẽs volando, quia ascendit amando. Ad illã scilicet supernam Hierusalẽ matrem omnium nostrũ, quæ est in cœlis. Ab illa enim peregrinamur in hac vita, ad eius reditũ suspiramus, tamdiu miseri & laborantes, donec ad illã redeamus. Nec ciues nostri angeli dimiserunt nos in peregrinatione, sed annunciauerunt nobis ipsum regem venturum ad nos. Et venit ad nos, & cõtemptus est inter nos à nobis: & postea nobiscum. Et docuit nos contemni, quia contem-
C ptus est. Docuit tolerare, quia tolerauit. Docuit pati, quia passus est. Et promisit resurrecturos, quia resurrexit. In seipso ostendens, quid sperare debeamus. Si ergo prophetæ & patres antiqui antequam dominus Iesus Christus veniret in carne, antequàm mortuus resurrexisset & ascendisset in cœlum, suspirabant tamen illi ciuitati: quantum nos oportet desiderare quo nos ipse præcessit, & vnde nunquã recessit. Antiqui sacerdotes, qui non tam curabant de cultu sermonis quàm de salute & ædificatione plebis propter idiotas & rusticanos, non sursum sed vulgari sermone: sursum corda dicere solebant. Vt res tanta planius omnium sensibus commendaretur, monet autem adhuc sacerdos & Augustin⁹
dicit: *Gratias agamus domino deo nostro.* Gratiarum actio patri Iaco. 1.

luminum, semper à nobis debetur. A quo sine vlla dubitatione, omne datum optimum, & omne donum perfectum scriptura teste descẽdit. Nemo est enim donis dei beatus: qui donanti exsistit ingratus. Quia & hoc quod inter sacra mysteria cor habere sursum iubemur, ipso adiuuante id valemus, quo iubente admonemur. Et ideo sequitur: vt de hoc tanto bono sursum leuati cordis, non nobis gloriam quasi nostrarum virium tribuamus, sed domino deo nostro gratias agamus. Hoc enim continuò commonemur, quia hoc dignum est, hoc iustum est. Recordari oportet semper, hæc verba vnde sint: inter quas actiones, & quanta sanctitate cõmendentur. Teneamus & habeamus quod accepimus: & datori gratias agamus. Quamuis enim accipere & habere nostrum sit: id tamen habemus quod accepimus. Quoniam superbienti & ex eo quod habebat quasi à seipso haberet impiè glorianti: veritas per Apostolum dicit: Quid enim habes, quod non accepisti? Quod si accepisti, quid gloriaris, quasi non acceperis? Meritò ergo in illo verissimo & singulari sacrificio domino deo nostro agere gratias admonemur. Vt agnoscat homo si quid bene viuit, dei gratia se habere. Et vt perficiatur in dilectione iustitiæ, non se aliunde consequuturum. Quæ cogitatio pium facit. Ipsa est illa sapientia, quæ pietas vocatur, qua colitur pater luminum: à quo est omne datum optimum, & omne donum perfectum. Colitur autem sacrificio laudis actionibúsque gratiarum: vt cultor eius, non in seipso sed in illo glorietur. Non enim spiritus huius mundi accepimus, vt ait idem Apostolus, sed spiritum qui ex deo est: vt sciamus quæ à deo donata sunt nobis. Quis est autem spiritus mundi huius, nisi superbiæ spiritus? Quo cor insipiens obscuratum est eorum, qui cognitum deum non vt deum gratias agendo glorificauerunt. Consideremus ergo hæc, & de omnibus beneficiis dei semper illi gratias referamus. Inter quæ omnia opera eius, nihil est quod vel considerare libentius vel laudare dulcius debeamus, quàm quod Christus factus est humilis, & ad hominem qui ad ima deiectus fuerat sponte descendit, vt vel sic se erigendum crederet, qui iacebat. Denique vt leuaret

Margin notes: D; E; F; 1. Corin. 4 (beside "dicit: Quid enim habes"); 1. Corin. 2 (beside "di accepimus").

in cœlum

in cœlum spem nostram, leuauit primò carnem suam. Et
A vt non dubitaremus secuturum quod promisit nobis, illuc
iam præcessit quod accepit ex nobis. Ideo ergo præcipuè *Fulgetius.*
in ipso sacrificio corporis Christi à gratiarum actione incipimus, vt Christum non dandum, sed datum nobis in veritate monstremus. Et in eo quod gratias agimus deo in oblatione corporis & sanguinis Christi, cognoscamus non adhuc occidendum Christum pro nostris iniquitatibus, sed occisum. Nec redimendos nos illo sanguine, sed redem-
ptos. Vera est enim beati Petri prædicatio dicentis: Non *1.Pet.1.*
corruptibilibus argento vel auro redempti estis de vana vestra conuersatione paternæ traditionis, sed precioso san-
guine quasi agni incontaminati & immaculati Christi. Be- *Seuerian.*
nè itaque admonenti sacerdoti & dicenti: gratias agamus
B domino nostro, respondet ecclesia, *Dignum & iustum est.*
Quid enim magis potest esse deo dignum, aut quid ei iustius à nobis rependi potest, quàm vt tantæ misericordiæ dei, cui vicem referre non possumus, debitas gratias reddamus? Audientes Apostolum exhortantem nos & dicen-
tem: Gratias agentes deo & patri, qui dignos nos fecit in *Colos. 1.*
sorte sanctorum in lumine. Qui eripuit nos de potestate tenebrarum, & transtulit in regnum filij charitatis suæ. In quo habemus redemptionem per sanguinem eius, remissio-
nem peccatorum. Sic enim dilexit deus mundum, vt filium *Ioan.3.*
suum vnigenitum daret: vt gratia dei pro omnibus gu- *Heb.2.*
C staret mortem. Qui ergo per hanc gratiam eripimur de potestate tenebrarum, id est diaboli & angelorum eius, & transferimur in regnum filij dilectionis dei: videlicet
vt efficiamur genus electum, regale sacerdotium, ha- *1.Pet.2.*
bentes in eodem filio per sanguinem eius redemptionem remissionem peccatorum. quid dignius agere possumus, quàm quod beatus Petrus Apostolus admonet dicens:
Vt virtutes annuncietis eius, qui de tenebris vos voca- *1.Pet. 2.*
uit in admirabile lumen suum. Qui aliquando non populus, nunc autem populus dei. Qui non consecuti misericordiam, nunc autem misericordiam consecuti.
Hanc ergo ecclesiæ responsionem confirmat sacerdos. Et in deum mente suspensus congemiscente secum omni

ecclesia, proclamat & dicit. *Verè dignum & iustum est, æquum & salutare, nos tibi semper & vbique gratias agere.* D
Quod est iustum, hoc est & æquum. Sed repetitio sermonis, confirmatio est veritatis. Nam iustitia & æquitas, vna res est. Sicut cantamus in Psalmo de domino: *Psal.9.* Iudicabit orbem terrarum in iustitia, & populos in æquitate. Quod enim prius dicimus in iustitia, hoc post ea repli cando subiungimus, in æquitate. Salutare autem dicitur, quod est salubre, eò quod salutem conferat. Verè ergo vt incessanter gratias agamus, dignum est tantis dei beneficiis, iustũ nostris obsequiis, æquum ipso pondere rationis, salutare manifesto fructu salutis. Quo & deum laudantes saluantur: & ingrati ipsius iudicio reprobantur. Nam deũ fideliter laudantes, verè saluantur, sicut in Psalmo canta- E
Psal.17. tur: Laudans inuocabo dominum, & ab inimicis meis saluus ero. Ingrati autem reprobantur, sicut apertè in euangelio ipse dominus ostendit. Qui ex decem leprosis eius virtute mundatis, vnum ad se suppliciter reuertentẽ & magna voce gratias agentem, laudauit & gratia fidei saluauit dicendo: Non est inuentus qui rediret & daret gloriã deo,
Luc.17. nisi hic alienigena. Et continuò clementer adiunxit: Surge vade, quia fides tua te saluum fecit. Nouem autẽ reliquos, licet crediderint se per eum posse mundari, quando vna voce clamauerunt dicentes: Iesu præceptor miserere nostri: tamen quia tantæ virtuti extiterunt ingrati, velut infide-
Luc.17. les nescire se ostẽdit dicendo: Nonne decẽ mundati sunt, F
& nouem vbi sunt? Nescire autem dei, reprobare est. Vnde & quibusdam dicturus est: Amen dico vobis, nescio vos.
Mat.25. Ex quo quantum malum sit gratiarum actionem deo debitam neglegere euidenter ostenditur. Quando eos quos credentes mundauit, & iam mundatos istius culpæ merito tanquam infideles abiecit. Gratias autem agere debemus, semper & vbiq;, id est in omni tẽpore, & in omni loco. Vt impleatur in nobis quod cantamus in Psalmo: Benedicam do-
Psal.33. mino in omni tempore, semper laus ei⁹ in ore meo. Et ite-
Psal.102. rum. In omni loco dominationis eius, benedic anima mea domino. Quis est ergo qui benedicit & gratias agit domi-
Aug. in psal.33. e- no in omni tempore, nisi humilis corde? Ipsam enim humilita-

litatem docuit dominus noster in corpore & sanguine suo. *narratio.*
A Quia cùm commendat corpus & sanguinem suum, humilitatẽ suã cõmẽdat. Esto humilis, si vis benedicere dominũ omni tẽpore: & semper laus eius in ore tuo. Quia & Iob non tantùm benedixit dominum, quando abundabant illi omnia, quibus eum legim⁹ diuitem fuisse. Ablata sunt omnia vno tempore, & impleuit quod in hoc Psalmo scriptũ est dicens: Dominus dedit, dominus abstulit: sicut domino placuit ita factum est, sit nomen domini benedictum. Ecce habes exemplum benedicentis in omni tempore. Non habebat quę teneret, sed habebat quod laudaret. In laude dei sui, quasi in rerum copia quiescebat. Deus illi solatiũ fuit, ne possessionum damnis periclitaretur. Nũquid enim perdidit deũ, quamuis perdiderit quod dederat deus. plus est enim eum habere qui dat, quàm illa quæ dat. Si enim pulchra sunt quæ dat, quanto pulchrior ille qui dat. Si magna sunt, quanto maior ipse largitor? Et certè quæ in hac terrena vita dederit deus, aut dum viuimus nos deserunt, aut à nobis morte deseruntur. At verò ipse deus, æterna possessio, semper præsens nunquam deserit possidentem. Sint ergo casta vota fidelium. Vile sit temporale bonum: vt veniat æternũ. Inhæreat deo anima pia, in eũ oratione suspensa. Et per spiritales amplexus ei connexa, desideret illud quod secum ipse largitur. Quantum est enim quod nobis exhibet deus, si seipsum nobis nolit exhibere. Si ergo bona suppetunt seculi, sit misericordiæ faciendæ materies: Si defuerint, sit patientiæ fidelis occasio. Tali enim deuotione, etiam in omni loco deo gratiæ aguntur. Quia qui vbique est præsens, vbique agnoscit laudatorem suum. Etiam cùm ore quiescente & tacente lingua, secreto cordis affectu fidelis ei anima benedicit. Cùm agit in silentio, quod canitur in Psalmo: Benedic anima mea domino, & omnia quæ intra me sunt, nomini sancto eius. Quisquis ergo supplicaturus & gratias acturus deo, locum sanctum & aptum requiris, interiora tua munda. Et omni inde mala cupiditate depulsa, præpara tibi in cordis tui pace secretum. Volens in templo orare, in te ora, & ita age semper vt templum dei sis. Ibi enim deus exaudit, vbi habitat. Pro-

Ibid. Paulo inferius

Iob.1.

B (margin letter beside "didit deũ")

C (margin letter beside "bona suppetunt")

Psal.102.

Seuerian⁹

clamans autem sacerdos, verè dignum & iustum est, æquũ
& salutare. nos tibi sempet & vbique gratias agere, subiun- D
git ad quem dirigat orationem dicendo: *Domine sancte*
pater omnipotens æterne deus. Et per quem eandem orationem
dirigat, addendo: *Per Christum dominum nostrum.* Quod er
go dicit, domine, refertur ad creaturæ subiectionẽ: de qua
& in psalmo canitur, quoniam omnia seruiũt tibi. Et alibi:
*Psal.*118. Dixi domino deus meus es tu, quoniam bonorum meorum
August. non eges. Quid est enim bonorum meorum, nisi à te da-
*Psal.*15. torum? Quomodo eget aliquo bono, à quo omne bonum
datur? Ideo verus est dominus, qui seruo non indiget, &
Seuerian9 quo seruus indiget. Quod verò adiungit, sancte pater, re-
fertur vel specialiter ad vnigeniti filij generationẽ, in qua
coæternus & coæqualis est patri, de qua etiam propheta E
*Isa.*53. ait: generationem eius quis enarrabit? Vel generaliter,
Aug. trac. ad omnium filiorum dei adoptionem. Cuius tanta est gra-
2. *ad cap.* tia, vt cùm haberet vnicum, noluerit illum esse vnum. Sed
1. *Ioannis.* vt fratres haberet adoptauit illi, qui cum illo possiderent
Seuerian9 vitam æternam. Pro quibus ipse eisdem verbis patri sup-
*Ioan.*17. plicans ait: Pater sancte serua eos in nomine tuo quos
dedisti mihi. Hæc ergo vox, vt dicatur deo, pater san-
cte & propria est vnici filij per naturam, & cõmunis om-
Mat 6. nium adoptatorum filiorum per gratiam. Per quam eis e-
Luca.11. tiam concessit, vt orantes dicant: pater noster qui es in
Aug. cap. cœlis. Qui verè omnipotens & æternus est deus. Omni-
1. *de sym-* potens videlicet, virtute qua omnia condidit, & continet F
bolo ad ca & regit. Cui veraciter scriptura dicit, quia tibi impos-
techume- sibile nihil est. Qui tamen sic omnipotens est, vt nun-
nos.lib. 1. quam suæ rationis instituta conuellat. Ipsius est etiam ve-
Matt. 19. ra æternitas, cui quod est esse, perpetuum est. Qui ini-
Psal. 101. tio carens, sicut nullum finem, ita nullam recipit mutabi-
Seuerian9 litatem. Tota autem oratio & gratiarum actio quam sem-
per & vbique debemus, dirigitur & offertur deo patri, per
Christum dominum nostrum. Tanquam per mediatorem
& conciliatorem dei & hominum, de quo apostolus ait: V-
2. *Tim.* 1. nus enim deus, vnus & mediator dei & hominum homo
Christus Iesus, qui dedit semetipsum redemptionem
pro omnibus. Qui cùm in natura deitatis sit vnum cum
patre

patre, suscipiendo naturam nostram, factus est nobis mediator ad patrem. Ideo enim mediator dei & hominum, quia deus cum patre, quia homo cum hominibus. Non mediator homo præter deitatem: non mediator deus præter humanitatem. Diuinitas sine humanitate non est mediatrix: humanitas sine diuinitate nõ est mediatrix. Sed inter diuinitatem solam & humanitatem solam mediatrix est humana diuinitas, & diuina humanitas Christi. Qui etiã semetipsum obtulit in passione pro nobis, vt tanti capitis corpus essemus. Secundum formam serui. Hanc enim obtulit, in hac oblatus est. Quia secundum hanc mediator est. In hac sacerdos, in hac sacrificium est. Per ipsum ergo, & petitiones & laudes suas offert ecclesia deo patri, sciẽs per eum solũ se posse accipere quod postulat: per eum solum placere posse quod laudat. Sicut ipse in euangelio promittit, dicens: Amen amen dico vobis, si quid petieritis patrem in nomine meo, dabit vobis. Hæc est enim mediationis gratia, per quam exauditur ecclesia. Secundum quam & Apostolus exhortatur, dicens: Per ipsum ergo offeramus hostiam laudis semper deo, id est fructum labiorum confitentium nomini eius. Idem nanque mediator dei & hominum, deus super nos, homo propter nos, per humanitatem interpellat pro nobis apud patrem, per diuinitatem & exaudit & præstat cum patre. Sicut ipse testatur dicens: Quia ego ad patrem vado, & quodcunque petieritis in nomine meo, hoc faciam: vt clarificetur pater in filio. De qua mediatione & aduocatione, etiam beatus Ioannes apostolus ait: Aduocatum habemus apud patrem Iesum Christum iustum, & ipse est propiciatio pro peccatis nostris. Quia qui per humanitatem interpellat pro nobis apud patrem, idem per diuinitatẽ propiciat nobis cum patre. Orat itaque sacerdos pro ecclesia, orat ecclesia pro sacerdote. Sicut orat apostolus pro plebe, orat plebs pro apostolo, qui dicit: Orantes simul & pro nobis, vt deus aperiat nobis ostium verbi. Et pro Petro orabat ecclesia, cùm esset in vinculis Petrus, & exaudita est: quomodo & Petrus pro ecclesia. Quia omnia pro inuicem membra orant, caput pro omnibus interpellat. De quo scriptum est: Qui & est ad dexteram dei, qui etiam interpellat pro

[Margin: A — Aug. c. 12. lib. siue homil. de omnib⁹. to. 9. — Seuerian⁹. — B — Ioan. 16. — Hebr. 13. — Ioan. 14. — C — 1. Ioan. 2. — Vigilius. — Colos. 4. — Act. 12. — Marc. 16.]

Rom.8. nobis. Vnigenito enim filio pro homine interpellare est,a-
Colos.3. pud coæternum patrem seipsum hominem demonstrare: D
Heb.11. eique pro humana natura rogasse est, eandem naturam in
Gregorius. diuinitatis suæ celsitudinem suscepisse. Interpellat igitur
pro nobis dominus, non voce,sed miseratione. Quia quod
damnari in electis noluit, suscipiendo seruauit. Qui quo-
niam hoc quod moriendo in sepulchro posuit, resurgendo
Seuerian. super angelos eleuauit. Rectè sacerdos adiungit & dicit:

*Per quem maiestatem tuam laudant angeli, adorant domina-
tiones, tremunt potestates.* Hæc est enim ineffabilis gloria sal-
Hebr.1. uatoris & mediatoris nostri. Qui (vt Apostolus ait) purga-
tionem peccatorum faciens, sedet ad dexteram maiestatis
in excelsis. Tanto melior angelis effectus,quanto differen
tius præ illis nomen hæreditauit. Cuius nominis celsitudi- E
Philip.2. nem alibi exponens, dicit: Propter quod & deus illum
exaltauit, & donauit illi nomen, quod est super omne no-
men: vt in nomine Iesu omne genu flectatur, cœlestium,
terrestrium, & infernorum. Quatinus per eundem media-
torem, laudet, adoret, & contremiscat maiestatem dei pa-
tris, non solùm ecclesia hominum in terris, sed etiam ec-
Aug.c.56. clesia angelorum in cœlis. Sic enim ecclesia tota & vna ac-
Enchiridii cipienda est. Non solùm ex ea parte qua peregrinatur in
ad Laurē. terris, à solis ortu vsque ad occasum laudans nomen domi-
to.3. ni: & post captiuitatem vetustatis cantans canticum nouū,
verumetiam ex illa, quæ in cœlis semper ex quo condita
est, quo hæsit deo, nec vllum malum sui casus experta est. F
Hæc in sanctis angelis beata persistit, & suæ parti pere-
grinanti sicut oportet opitulatur: quia vtraque vna erit
consortio æternitatis, & nunc vna est vinculo charitatis.
Hæc ergo quæ peregrinatur in terris, sanguine mediato-
ris nullum habentis peccatum, ab omni est redempta pec-
cato. Eius vox est: Si deus pro nobis, quis contra nos? Qui
Rom.8. filio proprio non pepercit: sed pro nobis omnibus tradidit
illum. Non enim pro angelis mortuus est Christus. Sed id-
eo etiam pro angelis fit ipsa redemptio hominum, quoni-
am cum eis redimus in gratiam, post inimicitias quas inter
homines & sanctos angelos peccata fecerunt. Et ex ipsa ho
minum redemptione, ruinæ ipsius angelicæ damnare pa-
Ephes.1. rantur. Propter hoc ait Apostolus iustaurari omnia in Chri
sto,quę

sto, quæ in cœlis sunt,& quæ in terris in ipso. Instaurantur
A quippe quę in cœlis sunt,cũ id, quod inde in angelis lapsum
est,ex hominibus redditur. Instaurantur autem quæ in ter
ris sunt,cùm ipsi homines qui prædestinati sunt in æternam
vitam,à corruptionis vetustate renouantur. Ac sic,per illud
singulare sacrificium in quo mediator est immolatus, paci-
ficantur cœlestia cum terrestribus, & terrestria cum cœle-
stibus. Quoniam sicut Apostolus dicit: In ipso complacuit Colos.1.
omnem plenitudinem habitare,& per eum reconciliari o-
mnia in ipsum, pacificans per sanguinem crucis eius, siue
quæ in terris sunt,siue quæ in cœlis. De ipso nãque & alibi Ephes.5.
idem ait Apostolus: Et ipse est caput corporis ecclesię.Et i- Colos.1.
terum: Et estis in illo repleti,qui est caput,omnis principa- Ibidem.2.
B tus & potestatis. Omnes ergo qui ab initio seculi fuerũt iu
sti, caput Christum habent. Illum enim venturum esse cre-
diderunt, quem nos venisse iam credimus. Et in eius fide
ipsi sanati sunt,in cuius & nos. Vt esset ipse totius caput ci-
uitatis Hierusalem,omnibus connumeratis fidelibus ab ini
tio vsque in finem: adiunctis etiam legionibus & exerciti-
bus angelorum. vt fiat illa vna ciuitas sub vno rege, & vna
quædam prouincia sub vno imperatore, fœlix in perpe-
tua pace ac salute, laudans deum sine fine beato fine. Isto- Seuerian.
rum verò trium ordinum supernorum spirituum, id est an-
gelorum, dominationum, potestatum, qui diuinam maie-
statem laudare, adorare,& tremere dicuntur,talis est diffe-
C rentia. Quod angeli qui Latine nuncij interpretantur, ex Greg.hom.
ipso nomine officium suum nobis indicant, quia videli- 34. euãg.
cet à deo missi voluntatem eius hominibus nunciant, Si-
cut legimus in veteri testamento missos angelos ad Abra-
ham, ad Loth, ad Iacob, ad Moysem, ad Iosue, ad Daniel, Gen.18.19
& Thobiam. Et in nouo frequenter. Vnde & per Psalmi- 32.
stam dicitur: Benedicite domino angeli eius,potentes vir- Exod.3
tute,facientes verbum illius, ad audiendam vocem sermo- Iosue.5.
num eius. Et iterum: Qui facit angelos suos spiritus. Ac si Dan.9.
aperte dicat: Quia eos quos semper habet spiritus, etiam Thob.21.
cùm voluerit, angelos, id est nuncios facit. Dominationes Matt.1.2.
autem vocantur,ea angelorum agmina, quæ mira poten- 26.
tia præeminent, eò quod eis cætera ad obediendum subie Lu.1 2.22
cta sint. Potestates etiam vocantur,hi qui hoc potentius cæ Psal.102.
teris Psal.103.

teris in suo ordine perceperunt: vt eorum ditioni virtutes aduersæ subiectæ sint. Quorum potestate refrænantur, ne corda hominum tantum tentare præualeant, quantum volunt. Hi ergo tam beati & sublimes in cœlestibus spiritus, per Christum dominum nostrum maiestatem dei laudant: sicut ad eos congratulando dicitur in psalmo: Laudate dominū de cœlis, laudate eum in excelsis. Laudate eum omnes angeli eius, laudate eum omnes virtutes eius. De quib⁹ & deus in libro Iob loquitur, dicēs: Quando facta sunt sydera, laudauerunt me omnes angeli mei voce magna. Adorant quoq; eandem diuinā maiestatem, sicut in hymno confessionis Esdræ ad ipsum deū dicitur: Tu ipse domine deus qui fecisti cœlū, cœlū cœli, & vniuersa quę in eo sunt: & tu viuificas omnia hæc, & exercitus cœli te adorant. Tremūt etiam, sicut per figurā de eis in libro Iob dicitur. Columnę cœli cōtremiscunt, & pauēt ad nutū eius. Quia ipse quoque virtutes cœlestium, quę deum sine cessatione cōspiciunt, in ipsa sua contēplatione cōtremiscūt. Sed iisdē tremor ne eis pœnalis sit, nō timoris est, sed admirationis. Cùm igitur in cœlestibus tanta sit deuotio laudantium, veneratio adorantium, tremor admirantiū, consideret hæc homo cui dictum est: Quid superbit terra & cinis? & audiat Apostolū monētem: Cum metu & timore & tremore vestram ipsorum salutem operamini. Sequitur sacerdos in dei laudibus, & dicit:

Seuerian⁹ — *Psal. 148.* — *Iob. 48.* — *2. Esdr. 9.* — *Iob. 26.* — *Gre. c. 14. & 15. lib. 15. ad cap. 26. Iob.* — *Seuerian⁹* — *Eccli. 10.* — *Philip. 2.*

D — E

Cœli cœlorúmque virtutes, ac beata Seraphin socia exultatione concelebrant. Subauditur hoc quod iam suprà dictum est, maiestatem tuam. Hanc namque, non solùm vt præmissum est, angeli dominationes & potestates laudant, adorant, tremunt: sed etiā cœli & cœlorum virtutes & Seraphin cōcelebrant. Id est in cōmune celebrant, cōcordi deuotione & cōmuni gaudio laudāt. Nam celebritas est conuentus populi in laude. Et celebrata dicimus, in celebri id est frequentissimo conuentu acta. Celebrat itaque & concelebrat maiestatem dei, beatus ille populus angelorū. De cuius inenarrabili multitudine scriptum est: Milia milium ministrabāt ei, & decies milies centena milia assistebāt ei. Quia adest illis semper vultus præsens dei, dicente domino in euangelio: Angeli eorū in cœlis, semper vidēt faciem patris mei, qui in cœlis est. Qui dum sine defectu conspicitur & amatur, a-

Daniel. 7. — *Gre. ho. 34 euang.* — *Matth. 18.*

F

tur, a-

tur, amatur & laudatur, electorũ ciuium mira lætitia agitur.
A Vicissim de se oẽs in suo cõuentu gratulantur. Ipsa est enim *Seuerian⁹*
dom⁹ dei ęterna, de qua in psalmis canit: Beati q habitãt in *Psal. 83.*
domo, tua, in secula seculorũ laudabũt te. Et iterũ: Sicut lę *Psal. 86.*
tãtiũ omniũ, habitatio in te. Ideo bene hic dicitur, quia ma iestatẽ dei, socia, id est iũcta exultatione cõcelebrãt. Quoniã, vt iam dictũ est, sine intermissione laudantes, vicissim de illo, & de se in illo lætãtur. Sicut de ipsis seraphin manifeste in Esaia legitur, quia volabãt & clamabat alter ad alte *Esaia. 6.*
tum, & dicebat: Sanctus, sanctus, sanctus &c. Meritò enim *Augustin⁹*
laudant cui ministrãt & assistunt, & dant gloriam in excelsis deo: quia illi debent quod sunt, illi debent quod viuunt, illi debent quod iuste viuunt, illi debent quod beate viuũt.
B Ne putemus hominem solùm pertinere ad gratiam dei. Quid erat angelus antequã fieret? quid est angelus, si dese- *Seuerian⁹*
rat qui creauit? Hũc ergo omniũ creatorẽ & rectorẽ laudãt & concelebrant cœli, sicut eum laudant sol & luna, omnes stellæ & lumen. Vnde & in psalmo dicitur: Laudate eum sol & luna, laudate eum omnes stellæ & lumẽ. Laudate eum *Psal. 148*
cœli cœlorum: & aquæ quæ super cœlos sunt, laudent nomen domini. In hymno quoq; trium puerorum, ad laudem *Augustin.*
dei elementa omnia prouocantur: non quòd elementa mu *Danie. 3.*
ta habeant sensum laudandi, sed quia cuncta bene cogitata laudẽ pariunt. Et impletur cor consideratione creaturæ ad eructandũ hymnum creatori. Et quia longũ fuit in ista gra *Seuerian⁹*
C tiarũ actione, totos angelorũ ordines qui in scripturis nouẽ inueniuntur singillatim ponere, post cœlos ponũtur virtutes. Quo nomine oẽs cœlestes spiritus nõnunquã generaliter appellari solent. Vt est illud in psalmo: Verbo domini *Psal. 32.*
cœli firmati sunt, & spiritu oris eius omnis virtus eorum. *Psal. 23.*
Et iterum: Dominus virtutum, ipse est rex gloriæ. Tamen *Grego. ho.*
propriè in ordinibus angelorum virtutes illi spiritus vo- *34. euang.*
cantur, per quos signa & miracula frequentius fiunt. Ad vltimum ponuntur Seraphin, qui est summus ordo angelicorum spirituũ. Et verè beata, quæ ex singulari propin- *Ibidem.*
quitate conditoris sui, incomparabili ardent amore. Vnde & Seraphin ardentes vel incendentes interpretantur. Quia quò subtilius claritatem diuinitatis aspiciunt, eò validius in eius amore flammescunt. Sciẽdum quoque quòd *Vigilius.*
Cherubim

Cherubim & Seraphim per.m. literam prolata iuxta proprietatem linguæ Hebrææ masculini sunt generis & pluralis muneri tantum. Si autem per .n. litteram dicantur sicut in psalmis & hymnis & in præsenti gratiarum actione ponitur Græca declinatione in neutrale genus mittuntur. Veluti cùm dicimus, lucida sidera, speciosa nemora, iucūda littora: sic & beata Seraphin neutrali genere, & plurali numero accipiamus. Illud autem attentissimè cognoscēdum quia non ita sancti angeli & cæteræ cœlorum virtutes maiestatem dei patris laudare, adorare, tremere, & cōmuni exultatione cōcelebrare dicūtur p Christū dominū nostrum, tanquam hæc venerationis & glorificationis obsequia soli deo patri deferant, non etiā filio & spiritui sancto. Certissima enim fide tenere & scire debemus quia totius sanctæ trinitatis, patris & filij & spiritus sancti, sicut vna est diuinitas & indiuidua maiestas, ita ei in omnibus æqualis honor & indiuidua glorificatio debetur. Nec vllo modo aut pater sine filio, aut filius sine patre & spiritu sancto, aut laudari aut adorari, aut vllo diuini cultus obsequio honorari potest. Nulla enim est in trinitate distantia. Sed siue patrem quis adoret, ibi est & filius & spiritus sanctus. Siue filio aut spiritui sancto supplicet, ibidem sine dubio & pater inuenitur. Quia dum patrem aut filium inuocas totam vnitatem deitatis, totam amplecteris trinitatē. Si enim verè & fideliter creditur, quia pater in filio & filius in patre est, sicuti Esaias ad eundem filium loquitur dicens: In te est deus, & non est deus præter te. & in euangelio: Ego inquit in patre, & pater in me est. nulli dubium, quod similiter vt patri, etiam filio qui in eodem patre cōsubstantialiter manet, à nobis sacrificiū immolet. Cū enim ita in se inuicē vt separari nequeant manēt, quod vni exhibueris, vtrisque exhibitū crede. Denique filius ait: Qui me vidit, vidit & patrem meum. Ego & pater vnum sum⁹. Si visio filij patris est contemplatio, patris honorificentia filij est gloria, dicente eodē filio, Vt omnes honorificēt filium, sicut honorificant patrem. Quid si inueniantur qui patrem honorificant, & non honorificant filium? Non potest, inquit, fieri. Qui non honorificat filium, nō honorificat patrē qui misit illum. Sed ne forte patrem quidem honorifices

Marginalia: *Seuerian⁹* · D · E · *Vigilius.* · F · *Esa.45.* · *Ioan.14.* · *Ioan.14.* · *Ioan.10.* · *Ioan.5.* · *Aug. trac. 21. ad cap. 5. Ioan.*

norifices tanquam maiorem, filium verò tanquam minorem, corrigit te ipse filius & reuocat dicens: Vt omnes honorificēt filium, non inferius, sed sicut honorificant patrē. Quicquid ergo mandatis cœlestibus obsequendo diuinitati exhibemus, siue in sacrificiorum ritu, siue in supplicatione precum, siue in alio quolibet munificētiæ genere, & patri & filio æqualiter debetur. Ac sic, nullum venerationis honorem priuatim possidet pater, qui non ad filij & spiritus sancti pertineat dignitatem. Nam si sacramentum regenerationis baptismi ad eos æqualiter pertinet, dum in nomine patris & filij & spiritus sancti beata illa seruandæ natiuitatis gratia celebratur, nulli dubium quòd & mysteriorū sacrificia communi dignitatis honore pater & filius & spiritus sanctus possidet. Quia inseparabili deitatis vnitate trinitas ipsa connexa est. Vt autem ad solum patrem oratio dirigatur, id apostoli sancto per eos ordinante spiritu sanxerunt. Vt qui multorum deorum errores vnius dei prædicatione nitebantur euellere, sub trinitatis sacramēto vni personæ in sacrificiorum ritu supplicandum esse decernerent. Ne qui vnum deum ob falsorum deorum extirpādos errores prædicabant, in pluralē diuinitatis numerum incidisse arguerentur ab his, qui ineffabile patris & filij & spiritus sancti mysterium ignorabant. Rectissimè ergo cōstitutum est, vt quia pater & filius & spiritus sanctus, vnius deitatis, vnius naturæ, vnius æqualitatis, vnius denique potestatis exsistunt: vna ex eis persona propter vnitatis mysterium retinēdum, in sacrificio inuocaretur. Nec alia debuit, nisi quæ prima est, in qua cæteræ duæ naturæ aliter manentes exsistunt. Quòd verò per filium inuocamus, cū ad eum dicimus per Iesum Christum filium tuum: hoc vt suprà iam dictum est, ex ea parte præcipitur, qua pro nobis sacerdotis officio functus est. tunc cū deo patri immaculatam suæ carnis hostiam in ara obtulit crucis. Vnde vas electionis: Considerate inquit apostolum & pontificē cōfessionis nostræ Iesum, qui fidelis est ei qui fecit eum. Factus ergo sacerdos, pro nobis interpellet necesse est. Sed ea vt dixi parte, qua hominis gerit naturam. Vnde & apostolus, non diuinitati, sed humanitati eius, hoc intercessionis eius ministerium coaptauit dicens: Vnus enim mediator

Marginalia: *Ioan. 5.* (beside "norifices tanquam maiorem"); A; *Ioan. 5.* (beside "norificēt filium"); *Vigilius.* (beside "Quicquid ergo"); *Matt. 28.* (beside "regenerationis baptismi"); B (beside "& spiritus sanctus possidet"); C (beside "testatis exsistunt"); *Heb. 3.* (beside "ea vt dixi parte"); *1. Timo. 2.* (beside "sionis eius ministerium")

diator dei & hominum, homo Christus Iesus. Quod autē oratio & adoratio, sicut patri ita & filio deferatur, ostendit Esaias dicens: Ipsum gētes deprecabuntur, & erit nomen eius gloriosum. Et iterum, vbi inducit deum patrem loquentem ad filiū: Labor Aegypti & negociatio Aethiopiæ & Sabaim viri sublimes ad te transibunt & tui erunt. Post te ambulabunt vinculis alligati, & te adorabunt téq; deprecabuntur: quoniam in te est deus, & non est præter te. Item in Iohel: Omnis qui inuocauerit nomen domini, saluus erit. Quod de filio dictum apostolus edocet, tunc cū Iudæorum incredulitatem exprobrans ait: Omnis qui inuocauerit nomen domini, saluus erit. Quomodo inuocabunt eum, in quem non crediderunt? Dauid etiam supernarum sedium cōsessorem filium deprecans ait: Qui sedes super Cherubin, appare corā Effraim & Beniamin & Mānasse. Excita potentiam tuam, & veni vt saluos facias nos. Audi etiam spiritum sanctum, quemadmodum laudis sacrificium & filio & patri & sibi præcipit immolari. Vbi verò indiuidua trinitas cum personarum distinctione euidētius demonstratur. Dicit ergo idem spiritus sanctus in psalmo: Immola deo sacrificium laudis, & redde altissimo vota tua: & inuoca me in die tribulationis tuæ, & eripiam te, & glorificabis me. Ecce spiritus sanctus, & deo filio sacrificiū laudis & patri altissimo vota promissionis, & sibi inuocationis & glorificationis hostiam, à veritatis cultoribus suadet exhiberi. De illo quippe dicit apostolus. Nescitis quia membra vestra, templum sunt spiritus sancti qui in vobis est quem habetis à deo? Et non estis vestri, empti enim estis precio magno. Glorificate & portate deum in corpore vestro. Quemnam deum nisi spiritum sanctum, cuius corpora nostra esse dixerat templum. Debetur ergo gloria spiritui sancto. Quòd verò virtutes angelicæ cū patre simul etiam filium laudent atque glorificent, ostenditur nobis in Deuteronomio. Vbi ita ad filij venerationem, cœlestis inuitatur exercitus. Lætamini cœli simul cum eo, & adorent eum omnes angeli dei: Lætamini gentes cū populo eius, & glorificent eū omnes filij dei. In Apocalypsi quoque beatus Ioannes postquàm vidit quatuor animalia & viginti quatuor seniores coram agno qui librum signatum

Margin notes: *Esa.11.* (D) *Esa.45.* *Ioel.2.* *Roma.10.* *Psal.79.* (E) *Psal.49.* *1.Cor.6.* (F) *Aug.* *Vigilius* *Deute.32. iuxta.70. interpretes.* *Apoca.5.*

tum aperuit cecidisse dicentes: dignus es accipere librum & aperire signacula eius. quoniam occisus es & redemisti
A nos deo in sanguine tuo, subiunxit voces militiæ cœlestis redéptioni nostræ congratulantes,& ait: Et vidi & audiui vocé angelorum multorum in circuitu throni, & erat numerus eorũ milia miliũ, dicentiũ voce magna: Dignus est agnus qui occisus est accipere virtutẽ & diuinitatẽ & sapiẽtiã & fortitudinẽ,& honorẽ & gloriã & benedictionẽ. Post hæc inquit vidi,& ecce multitudo magna quam numerare nemo poterat, ex omni gente & tribu & populo & lingua: stantes ante thronũ & in cõspectu agni, amicti stolis albis, & palmæ in manibus eorũ: Et clamabãt voce magna dicẽtes: Sal' deo nostro sedẽti super thronũ & agno. Ecce laudis sacrificiũ indiscretè patri & filio, sanctorũ immolat cho-
B rus: Quorũ voces, multitudo angelorũ adorando, & amen respõdẽdo cõfirmat: Sicut statim in eodẽ lib. sequit: Et oẽs angeli stabãt in circuitu throni, & ceciderũt in conspectũ throni in facies suas,& adorauerũt deũ dicẽtes, amẽ. Spiritũ quoq; sanctũ in eadẽ gloriæ sublimitate beatus Petrus prædicat dicẽs: Spiritu sancto misso de cœlis, in quẽ desiderant angeli prospicere. Sequitur sacerdos & dicit: *Cũ quib' & nostras voces vt admitti iubeas deprecamur, supplici cõfessione dicentes.* Voces angelorũ sunt in laude conditoris, ipsa admiratio intimæ contẽplationis. Quales ergo oportet esse voces nostras quasi in cõspectu dei, cũ angelicis laud b'
C deprecamur admitti id est intromitti: Vt possimus dicere: intret oratio mea in conspectu tuo. Et iterum: Vt veniat ad te oratio mea, ad templum sanctum tuum. Vtique tales voces & talis clamor non est in sono oris, sed in desiderio cordis. Voces enim apud secretissimas aures dei, non faciũt verba nostra, sed desideria. Aeternã etenim vitam, si ore petimus, nec tamen corde desideramus, clamantes tacuimus: Si verò desideramus ex corde etiam cum ore conticescimus, tacentes clamamus. Sic Moyses ab strepitu verborum tacebat, & tamen silens aure diuinæ pietatis audiebatur. Cui dicitur: Quid clamas ad me. Intus est ergo in desiderio clamor secretus: Qui ad humanas aures non peruenit, & tamen auditum conditoris replet. Et quia superna illa ciuitas ex angelis ex homini-

Apo.5. Apo.7. Apo.7. 1.Pet.1. Gre.ca.15. li.17 ad ca.26. Iob Seuerian' Psal. 87. Gregorius Exo.14. Gre.ho.34 euang.

hominibus constat, ad quam tantum credimus hominum genus ascendere, quantos illic contigit electos ange- D
Deute. 32. los remansisse, sicut scriptum est: Statuit terminos gen-
Seuerian⁹ tium iuxta numerum angelorũ dei. Meritò sancta ecclesia quæ illis socianda est in cœlo, & cum illis in dei laudibus permãsura: iam nunc ipsis vocibus deum laudat in terris, quibus eum sancti angeli laudant in cœlis. Et hoc non superba præsumptione, sed supplici confessione. Sic desiderans maiestatem dei credere & confiteri in mundo, sicut ab angelis videtur & laudatur in cœlo. Hęc enim con-
Iaco.5. fessio non est peccati, de qua nobis præcipitur: confitemi-
Psal.31. ni alterutrum peccata vestra. & psalmista ait: dixi confitebor aduersum me iniustitiam meam domino, sed laudis & gratiarum actionis. Qualis intelligitur in psalmo vbi cani- E
Psal.106. mus: Confiteantur domino misericordiæ eius, & mirabilia eius filiis hominum. Et qualem dominus Iesus qui nullum omnino habebat peccatum, in euangelio deo patri offert
Mat.11. dicens: Cõfiteor tibi pater domine cœli & terræ, quia ab-
Luc.10. scondisti hæc à sapientibus & prudentibus, & reuelasti ea paruulis. Vna igitur confessione, id est laude & gratiarum actione, iam nunc homines cum angelis sociantur. Laudãtes de cœlestibus & terrestribus, tanquam eum qui fecit cœlum & terram, & dicentes: *Sanctus, Sanctus, Sanctus, dominus deus sabaoth. Pleni sunt cœli & terra gloria tua.* Istæ sunt voces angelorum laudantium in cœlis. Hunc hymnum glo riæ dei, & Esaias propheta se audisse testatur, quando glo- F
Esa.6. riam domini vidit, & Seraphin istis vocibus eum conlaudantia audiuit. Et beatus Ioannes in Apocalypsi sub figu-
Apo.4. ra quatuor animalium introducit. Legitur namque in E-
Esa.6. saia de Seraphin laudantibus ita: Et clamabat alter ad alterum & dicebat: Sanctus, sanctus, sanctus dominus deus sabaoth: plena est omnis terra gloria eius. In Apocalypsi ve-
Apo.4. rò, de quatuor animalibus sic legitur: Et requiem non habebant die ac nocte dicentia. Sanctus, sanctus, sanctus dominus deus omnipotens, qui est & qui erat & qui venturus est. Manifestum est ergo quòd in his verbis diuinæ laudis, quę ad imitationẽ supernarum virtutum iuxta Esaiam decantat ecclesia, vnus sermo de Apocalypsi additus sit. Nam in Esaia tantùm dominus sabaoth legitur. In apocalypsi

lypsi verò dominus deus omnipotens. Et ideo non humano arbitrio, sed vtriusque scripturæ authoritate coniuncta
A dicimus, dominus deus sabaoth. Itē in Esaia legitur: Plena est omnis terra gloria eius. Tanquam hoc angeli non ad ipsum deum, sed de ipso ad inuicem dicāt, Nos autem conuersa ad eum voce dicimus: Pleni sunt cœli & terra gloria tua. Quod non humano sensu præsumptum, sed de alia scriptura assumptum & additum est, loquente ipso deo in Hieremia propheta, & dicente: Cœlum & terram ego impleo. *Hiere. 23*
Quicquid autem in dei laudibus scriptura dicit, rectè & ad ipsum dicitur gratulando, & de ipso ad alios exhortando vel instruendo. Sabaoth autem, vnum est de decem nominibus dei apud Hebræos, & Latinè interpretatur exercituum siue virtutum. Sicut frequenter in prophetis posi- *Hie. epi. ad Marc. to. 3.*
B tum est: hæc dicit dominus exercituum. Et in psalmo: Dominus virtutum ipse est rex gloriæ. Qui ideo dominus exercituum & dominus virtutum verè dicitur: quia omnis militia cœlestis exercitus, omnes supernæ virtutes atque angelicæ potestates eius imperio subiacent, eius seruiunt volūtati. Angelicos enim spiritus rectè militiam dicimus, quia decertare eos contra potestates aereas non ignoramus. Quæ tamen certamina non labore, sed imperio peragunt. Quia quod agendum contra immundos spiritus appetunt, ex adiutorio cuncta regentis possunt. De hac namque militia nascente rege nostro scriptum est: *Seuerian. Psal. 23. Gregorius*
C Subito facta est cum angelo multitudo militiæ cœlestis. *Lu. 2.*
Quid sibi ergo vult in hoc hymno angelico, sub vno nomine sanctitatis trina repetitio. Si trina repetitio, cur vna laudatio? Si vna laudatio, cur trina repetitio? Nisi quia pater & filius & spiritus sanctitate vnum sunt. Non dixit semel, ne filium sequestraret. Non bis, ne spiritum præteriret. Non quater, ne creaturam coniungeret. Et vt ostenderet vnam esse deitatem cùm tertiò dixisset Sanctus, sanctus, sanctus, addidit singulariter, dominus sabaoth. Sanctus igitur pater, sanctus filius, sanctus & dei spiritus, tota videlicet trinitas adoratur & laudatur ab angelis. Hanc Seraphin glorificant, & omnes potestates virtutesque cœlestes. Adiunguntur autem huic hymno angelorum, sumpta ex euangelio verba turbarum lau- *Augu. Seuerian.*

dantium dominum, & regem nostrum venientem Hie-
Mat.21. rosolymis atque dicentium: *Osanna in excelsis. benedictus* D
qui venit in nomine domini, osanna in excelsis. Ita enim ex
scriptura prophetica & euangelica, completur plena lau-
datio. Cùm post laudem & gloriam sanctæ trinitatis, ad-
iungitur etiam gratiarum actio de aduētu saluatoris. Qui
vnus in ipsa & ex ipsa trinitate pro salute nostra homo fa-
Roma. 4. ctus in mundum venit, & eandem salutem moriendo &
resurgendo perfecit. Mortuus est enim propter delicta
nostra, & resurrexit propter iustificationem nostram. Vn-
de meritò illi gratias agentes dicimus, osanna, id est sa-
Hie. ad.c. lus in excelsis. Hoc est enim quod in psalmo canitur: Do-
21. Mat. & mini est salus, & super populum tuū benedictio tua. Hoc
epi. & Da quod in magnæ deuotione laudis, in Apocalypsi san- E
ma. to.3. ctorum chorus resonat: Salus deo nostro, qui sedet su-
Psal. 3. per thronum & agno. Rectè quoque subiungimus: Be-
nedictus qui venit in nomine domini. Iuxta quod ipse in
Ioan.5. euangelio Iudæis non credentibus dicit: Ego veni in no-
mine patris mei, & non accepistis me. Assumunt autem
Psal. 117. versiculum laudis turbæ de psalmo centesimo septimo de-
Hie. epist. cimo quem de domino cantatum esse manifestum est.
ad Dam. Quod enim turbæ dicunt osanna, hoc est quod ibi dici-
to.3. tur: ô domine saluum fac, ô domine prosperare. Et sta-
tim eisdem verbis subiungitur, benedictus qui venit in no
mine domini. Quod verò in eiusdem laudis prosecu-
tione subiungitur, osanna id est salus siue saluifica in ex- F
celsis, apertè docet aduentum domini in carne non so-
Hie. in cō. lùm humani generis in terra, sed & angelorum in cœlis
ad cap.21. esse salutem. Quia dum nos redempti ad superna perdu-
Mat. cimur, eorum profectò numerus qui satana cadente erat
Ephe.1. minoratus, impletur. Hinc etenim Paulus ait: Instaura-
ri omnia in Christo, quæ in cœlis & quæ in terra sunt, in
ipso. Rectè igitur osanna in altissimis in eius laude cani-
tur: Cuius tota incarnationis dispensatio, pro implenda
gloria patriæ cœlestis apparuit. Post has laudes & gratia-
rum actiones pro tanta gratia redemptionis nostræ quæ
in illo diuino mysterio agitur & commendatur, facto to-
tius ecclesiæ silentio, in quo cessante omni strepitu verbo-
rum sola ad deum dirigatur intentio, & deuotio cordium,
sociatis

sociatis sibi omnium votis & desideriis, incipit sacerdos
A orationem fundere, qua ipsum mysterium dominici corporis & sanguinis consecratur. Sic enim oportet, vt in illa hora tam sacræ & diuinæ actionis, tota per dei gratiam à terrenis cogitationibus mente separata & ecclesia cum sacerdote, & sacerdos cum ecclesia spirituali desiderio intret in sanctuarium dei supernum & æternum. Et quoniam Ioan.4.
spiritus est deus, & eos qui adorant eum in spiritu & veritate oportet adorare. Nam & pater tales quærit qui adorent eum, sic eundem deum, & patrem deprecetur, & dicat: *Te igitur clementissime pater, per Iesum Christum filium tuum dominum nostrum supplices rogamus, & petimus vti accepta habeas, & benedicas hæc dona, hæc munera, hæc sancta sacrificia inlibata*. Dirigitur ergo hæc oratio sicut & reliquæ o-
B rationes, iuxta regulam fidei, & morem ecclesiæ ad clementissimum patrem. Cuius erga nos peccatores, & indignos tanta extitit clementia, & misericordia, quantum apostolus commendat dicens: Quia etiam proprio filio Rom.8.
suo non pepercit, sed pro nobis omnibus tradidit illum, quomodo non etiam cum illo omnia nobis donauit? Et iterum: Deus autem qui diues est in misericordia, propter nimiam charitatem qua dilexit nos, & cùm essemus Ephe.2.
mortui peccatis, conuiuificauit nos Christo. Per hanc gratiam spiritum adoptionis accepimus, quam commendat idem apostolus dicens: Sed accepistis spiritum ado- Roma.8.
C ptionis filiorum, in quo clamamus, abba pater. Et ideo in Gala.4.
hoc spiritu adoptionis qui postulat pro nobis gemitibus Roma.8.
inenarrabilibus: quia eos quos replere dignatur, inenarrabili desiderio gementes & postulantes facit. Clamat sacerdos cum ecclesia, non voce, sed corde, dicens: Te igitur clementissime pater, supplices rogamus & petimus. Quæ supplicatio & inclinatio cordis ad deum tantæ reuerentiæ & humilitatis esse debet: vt imitari queat illud quod de sua supplicatione apostolus dicit. Huius rei gratia, flecto genua mea ad patrem, ex quo omnis pater- Ephe.3.
nitas in cœlis & in terra nominatur. In qua flexione genuum non corporis prostratio, sed supplex affectus & cordis contritio intelligitur. De qua psalmista ait. Sacrificium deo spiritus contribulatus: cor contritum Psal.50.

& humiliatum deus non despicies. Secundum hæc ergo dicitur: supplices rogamus & petimus. & hoc per Iesum Christum filium tuum dominum nostrum. Per quem omnis supplicatio & petitio nostra ad deum dirigi debet, tanquam per verum mediatorem, & æternum sacerdotem, qui sedet ad dexterám patris, & interpellat pro nobis. Pro qua autem re dicit sacerdos ad deum patrem rogamus, & petimus, nisi pro eo quod sequitur: Videlicet, vt ea quæ ipsi offeruntur dona, munera, sancta sacrificia, accepta id est beneplacita habeat, & benedicat? Sacerdotum est enim offerre, & maiestatem dei inuocare: dei est autem dignanter suscipere, & ea quæ offeruntur benedicere, sicut in lege præcipit sacerdotibus dicens: Sic benedicetis filiis Israël, & dicetis eis. Et post verba benedictionis subiungit: Inuocabunt nomen meum super filios Israël: & ego benedicam eis. Quid apertius? Illi inuocabunt, & ego benedicam. Et tamen suprà eis dixerat, sic benedicetis, sed illi exorando, ille largiendo. Ita ergo & in oblatione diuini sacrificij, sacerdotes exhibent offerendi, & supplicandi ministerium, sed deus largitur benedictionis donum: per vnum & verum sacerdotem, per quem & oblata sanctificat, & sanctificata acceptat. Dicunt itaque: Vti accepta habeas, & benedicas: ac si suppliciter dicant: Petimus vt hæc spiritu tuo sanctifices atque ore benedicas: vt quod nostræ humiliatis geritur ministerio, tuæ virtutis impleatur effectu. Quod autem subiungitur, Hæc dona, hæc munera, hæc sancta sacrificia inlibata, non aliud atque aliud dicitur: sed res vna pro sui magnitudine diuersa appellatione laudatur, & laudando commendatur. Quæ enim diuinis offeruntur altaribus, & munera appellantur, sicut dominus in euangelio dicit? Si offeres munus tuum ad altare, & dona vel sacrificia dicuntur? sicut ostendit Apostolus dicens: Omnis namque sacerdos ex hominibus assumptus pro hominibus constituitur in his quæ sunt ad deum: vt offerat dona & sacrificia pro peccatis. Sed vt dictum est: ista sermonum repetitio, tanti sacramenti est commendatio, & piæ deuotionis excitatio.

Marginalia: D; Nume. 6.; E; Nume. 6.; F; Matt. 5.; Hebr. 5.

tatio. Quia hæc sunt verè sancta, & inlibata, id est inuiolata, & incontaminata sacrificia, quæ nulla dignè possunt verba laudare: quæ in mysterio dominici corporis offeruntur. In cuius figuram hostiæ illæ veteris legis, immaculatæ ac sine vllo vitio iubebantur offerri. Qualis solus inuentus est Christus, sine vllo omnino peccato. Sequitur sacerdos & dicit: *Imprimis quæ tibi offerimus pro ecclesia tua sancta catholica, quam pacificare, custodire, adunare & regere digneris toto orbe terrarum, vnà cum famulo tuo papa nostro.* Sic omnino dignum fuit, vt inciperet sancta oblatio: videlicet pro ecclesia dei sancta catholica toto terrarum orbe diffusa. Ipsa est enim vniuersitas sanguine domini redempta. Ipsa est hæreditas à patre ei promissa & data: sicut ipse pater loquitur in psalmo: Dabo tibi gentes hæreditatem tuam, & possessionem tuam terminos terræ. Hæc vnitas corporis Christi, templum dei est, cui apostolus dicit: Templum enim dei sanctum est, quod estis vos. Omnes qui credunt in Christum, & sic credunt vt diligant. hoc est enim credere in Christum, diligere Christum, tanquam lapides sunt viui, de quibus templum domini ædificatur. Hoc autem templum est, vbi rogatur deus & exaudit. Quisquis enim præter templum dei orauerit deum, non exauditur ad illam pacem supernam, non exauditur ad vitam æternam, quæ non conceditur nisi ei qui in templo dei orat: qui orat in pace ecclesiæ, in vnitate corporis Christi. Quod corpus Christi constat ex multis credentibus in toto orbe terrarum. Et ideo exauditur qui orat in templo: quia ipse orat in spiritu & veritate. Meritò ab ea & pro ea: quia & in ea incipit diuina oblatio. Tanquam dicatur deo de illa & in illa: Exaudi nos deus salutaris noster, spes omnium finium terræ, & in mari longè. Ipsa est nãque vnitas quæ à finibus terræ, id est ab oriente & occidente, septentrione & meridie, ad deum clamat & dicit: A finibus terræ ad te clamaui, dum anxiaretur cor meum. Hinc & ecclesia Græcè dicetur, quod in Latinum vertitur conuocatio, eò quòd omnes ad se conuocet. Et catholica appellatur, id est vniuersalis. Non enim sicut conuenticula hæretico-

[Margin: A; Augu.; B; Psal. 2.; 1. Cor. 3.; C; Psal. 64.; Psal. 60.; Isido. ca. 1. lib. 8. etymolo.]

sum, in aliquibus regionum partibus coartatur: sed per totum terrarum orbem dilatata diffunditur. Hinc vniuersitas ab vno cognominata est: eò quòd in vnitatem colligitur. Vnde ait dominus in euangelio: Qui mecum non colligit, spargit, id est, qui in vnitatem meam non colligitur, à me diuisus in dispensationis perditione dissipatur. Pro hac itaque primùm in illa oblatione postulatur: vt eam deus toto orbe terrarum pacificare dignetur, videlicet, ne per hæreses & schismata eius vnitas dilanietur: aut aduersitate persecutionum, eius tranquillitas perturbetur. Vt enim hanc pacem tam interius quàm exterius faciat deus ecclesiæ suæ: & ipse apostolus orat dicens: Pax dei quæ exsuperat omnem sensum custodiat corda vestra & intelligentias vestras in Christo Iesu. Et omnem ecclesiam orare admonet, cùm ait: Volo igitur primò omnium, fieri obsecrationes, orationes, postulationes, gratiarum actiones. Et post paululum. Vt quietam inquit, & tranquillam vitam agamus in omni pietate. Postulatur etiam omnipotens, vt eam custodire, adunare, & regere dignetur. Ipse est enim verus custos populi sui, id est veri Israël: de quo in psalmo cantatur: Ecce non dormitabit neque dormiet, qui custodit Israël: Et iterum: Nisi dominus custodierit ciuitatem, frustra vigilat qui custodit eam. Idipsum autem videtur esse adunare, quod pacificare: idipsum custodire, quod & regere. Quia ecclesiam suam deus & pacificando adunat, & adunando pacificat: & custodiendo regit, & regendo custodit. Pacificando namque adunat, cùm omnium fidelium corda in sua pace coniungit. Cùm omnium fidelium mẽtes, per vnitatem fidei spei & charitatis, vnius efficit voluntatis: vt per spiritum sanctum charitate diffusa, impleatur in ea quod scriptum est: Multitudinis autem credentium erat cor vnum & anima vna. Et: Ecce quàm bonum, & quàm iucundum habitare fratres in vnum. Custodiendo quoque regit eandem ecclesiam suam: cùm inter omnia pericula clementer eã gubernat & dirigit: Cùm in psalmo orantes dicimus: Saluum fac populum tuum, & benedic hæreditati tuæ: & rege eos, & extolle illos

Marginal notes: Mat. 12. — Seuerian. — Philip. 4. — 1. Timo. 2. — Psal. 120. — Psal. 126. — Acto. 4. — Psal. 132. — Psal. 27. — D — E — F

vsque in ęternum. Quod verò post generalem ecclesiæ cõ-
A mendationem adiungitur, vnà cum famulo tuo papa no-
stro, ipsa vnitas ecclesiastici corporis fortius commẽdatur.
Quia diuinæ religionis cultum, vt beatus Leo scribit, quem *Leo pa. 1.*
in omnes gentes omnésque nationes dei voluit gratia co- *epist. 87.*
ruscare. ita dominus noster Iesus Christus humani generis *ad episco-*
saluator instituit: vt huius muneris sacramentum in bea- *pos Vien-*
tissimo Petro Apostolorum omnium summo principaliter *nen.*
collocaret. Atque ab ipso quasi quodã capite dona sua vel-
let in corpus omne manere, vt exortem se mysterij intel-
ligeret esse diuini, qui ausus fuisset à Petri soliditate rece-
dere. Hunc enim in consortium indiuiduæ vnitatis assum-
ptum, id quod ipse erat voluit nominari dicẽdo: Tu es Pe-
B trus, & super hanc petram ædificabo ecclesiam meam. Vn-
de constat, sicut iterum beatus papa Pelagius docet, ab v- *Pelag. pa.*
niuersi orbis communione separatos esse. quia qualibet dis- *secũd⁹ epi*
sensione inter sacra mysteria apostolici pontificis memo- *sto. prima.*
riam secundum consuetudinem non frequentant. Sequitur
in mysterio. *Et antistite nostro, & omnibus orthodoxis: at-*
que catholicæ & apostolicæ fidei cultoribus. Sicut enim vniuer-
salis ecclesiæ commemoratio, propter vnitatem societatis
& pacis coniungitur commemorationi apostolici pontifi-
cis, ita dignum & religiosum est: vt singulæ ecclesiæ com-
memorationes subiungant suorum antistitum: probantes
se per illam orationem dominicæ oblationis, seruare cum
C eis vnitatem spiritus in vinculo pacis. Orthodoxi autem
Græcè, Latinè rectæ gloriæ dicuntur: eò quod nullo hæ- *Isido. lib.*
retico errore deprauati, rectæ fidei confessione deum glo- *10. etymo-*
rificent. Idem ipsi ergo sunt catholicæ & apostolicæ fidei *logia.*
cultores. Catholicæ, id est vniuersalis, quam vniuersa vbi-
que seruat ecclesia. eiusdémque apostolicæ quam in toto
mundo apostolorum doctrina fundauit. Cultores autem
huius fidei non possunt dici nisi illi qui, quod rectè cre-
dunt, veraciter diligunt. Hoc enim vnusquisque colit, quod
maximè diligit. Vnde & de quibusdam gulæ & ventris a- *Philip. 3.*
matoribus, ait Apostolus: Quorum deus venter est. Ille
ergo est veritatis cultor, qui iungit fidei dilectionem. Vt
deum de quo rectè credit, diligendo colat: & colendo pro-
mereatur. Ipsa est fides quam commendat Apostolus di-

 cens:

Gala. 5. cens : In Christo enim Iesu neque circuncisio aliquid valet neque præputium, sed fides quæ per dilectionem operatur. D Completa hac oratione qua imprimis vniuersalis ecclesia cum apostolico pontifice & omnibus orthodoxis deo commendatur : adiungitur in conclusione more solito, per Christum dominum nostrum. Aliter enim nec oratio nec oblatio ecclesiæ deo offerri potest : nec illa pro quibus deus exoratur accipere, nisi per vnum mediatorem dei & hominum qui interpellat pro nobis. Quod ergo offert ecclesia, offert per illum. Quod deus eandem ecclesiam pacificare, custodire, adunare & regere dignatur: præstat per illum. Per ipsum nostra ad deum vota ascendũt: per ipsum diuina ad nos dona descendunt. Hoc namque *Ioan. 14.* ipse in euangelio commendat dicens: Quia ego ad patrem E vado : & quicquid petieritis in nomine meo hoc faciam, vt clarificetur pater in filio. Quam petitionis formam, in omni oratione sua custodit ecclesia. Sequitur in mysterio.

Memento domine famulorum famularumque tuarum, & omnium circumadstantium, quorum tibi fides cognita est, & nota deuotio. In quibus verbis cùm primùm dicitur memento domine famulorum famularumque tuarum: & sic deinde subiungitur, & omnium circumadstantium, manifestum est quòd quasi quidã locus sit: vbi aliquibus specialiter nominatis, etiam cæterorum qui assistunt in ecclesia commemoratio adiungatur. In quo vtique loco, aut liberum est sacerdoti quos desiderauerit peculiariter nominare, & nominatim deo commendare: aut certè illud ab antiquis obseruatũ est, vt ibi offerentium nomina recitarentur. Quod F videtur beatus papa Innocentius in quadam epistola significare vbi dicit: Superfluum est, vt cuius hostiam necdum deo offeras, eius antè nomen insinues: quamuis illi incognitum nihil sit. Prius ergo oblationes sunt commendandæ, ac tunc eorum nomina quorum sunt edicenda. Vt inter sacra mysteria nominẽtur, nõ inter alia quæ antè præmittimus, vt ipsis mysteriis, viam futuris precibus aperiamus. Fit ergo hæc oratio ad deum patrem, vt memor esse dignetur famulorum famularúmque suarum : vtriusque videlicet sexus sibi seruientium non sòlùm eorum qui nominantur, sed & omniũ circumadstantium. Ac de omnibus

Innocen. pa. 1. epist. 1. ad decẽtium episcopum.

& pro

& pro omnibus simul dicitur deo: quorum tibi fides co-
A gnita est & nota deuotio. Hoc est, quàm rectè credant,
quàm deuotè te diligant. tu solus, vides in conscientiis sin
gulorum. Tu es enim scrutans corda & renes deus: & tibi Psal. 7.
veraciter dictum est: Tu enim solus nosti corda filiorum 2. Para. 6
hominum. Qui in tuis cultoribus magis oblationē fidei &
deuotionis requiris. fidei, cùm per legislatorem tuum dicis:
Audi Israel, dominus deus tuus dominus vnus est. deuo- Deute. 6
tionis, cum statim adiungis: Diliges dominum deum tuū Deute. 6.
ex toto corde tuo, & ex tota anima tua: & ex tota virtute
tua, & proximum tuū tanquā teipsum. Hanc enim fidē &
deuotionem deo offerre, hoc est verè sacrificium salutare,
de quo scriptum est: Sacrificium salutare, est attendere Eccli. 35.
B mandatis. Sequitur in mysterio. *Qui tibi offerunt hoc sacrificium laudis pro se suisque omnibus, pro redemptione animarum suarum, pro spe salutis & incolumitatis suæ, tibi reddunt vota sua æterno deo viuo & vero.* In quibus verbis fideliter considerandum est, quòd tota ecclesia offerat deo illud sacrificium laudis. Quia de omni multitudine circumadstātium fidelium dicitur: qui tibi offerunt. Quod enim adimpletur proprio ministerio sacerdotum, hoc generaliter agitur fide & deuotione cunctorum. Omni enim ecclesiæ dicitur per beatum Petrum apostolum. Vos autem genus electum, 1. Pet. 2.
regale sacerdotium, offerre spirituales hostias & acceptabiles deo per Iesum Christum. Omnem ergo ecclesiam sa- Vigilius.
C cerdotium sanctum appellat, quòd sola domus Aaron in lege nomen & officium habuit. Quia nimirum omnes fideles summi sacerdotis membra existunt: cuncti oleo lætitiæ signantur, illius corpori vniti, qui rex summus & sacerdos est verus. Regnum suis tribuens vt rex: & vt pontifex eorum peccata sui sanguinis hostia mundans. Quanquam & in eadem lege veteris testamenti, huius spiritualis sacerdotij, quo tota ecclesia consecratur, euidenter mysterium commendatur. Cum illo agnus in pascha mactandus quod nobis immolatus est Christus, non à solis sa- Exo. 12.
cerdotibus sed ab vniuerso generaliter populo iubetur immolari: dicente domino: Immolabitque eum omnis multitudo filiorum Israël ad vesperum. Hunc namque agnum
in pa-

in paschali solennitate immolatum, eadem lex & victimã & hostiam & sacrificium domini esse commendat. Praeci- D
Exod. 23. piente domino & dicente: Non immolabis super fermento sanguinem hostiæ meæ, neque residebit mane de victima solennitatis phase. Et iterum: Homo inquit qui fuerit
Num. 9. immundus super anima siue in via procul in gente vestra, faciat phase domino mense secundo. Et post pauca: Si quis autem & mundus est & in itinere non fuit, & tamen non fecit phase, exterminabitur anima illa de populis suis, quia sacrificium domino non obtulit tempore suo. Offerunt ergo sacerdotes ecclesiæ, offert per ipsos & in ipsis tota ecclesia deo sacrificium laudis, quod à cultoribus suis sibi offerri ipse præcipit dicens:
Psal. 49. Immola deo sacrificium laudis,
Aug. in enarra. huius Psal. & redde altissimo vota tua. Nunquid à nobis tanquam indigens expetat laudẽ, sed vt in ea nobis consulat ad salutem, sicut in eodem Psalmo iterum dicit: Sacrificium lau- E
Psal. 49. dis honorificabit me: & illic via est, vbi ostendam salutare meum. Quid est enim salutare dei, nisi filius dei saluator mundi? Ipse igitur sacerdos & victima, sacrificium laudis impleuit. Malorum operum tribuens indulgentiam, & bene operandi largiens gratiam. Ad hoc enim domino sacrificium laudis ab eius cultoribus immolatur: vt qui gloriatur,
Seuerian. in domino glorietur. Hoc ergo sacrificium laudis, id est oblationẽ dominicæ passionis, in qua nulla nostra merita agnoscimus, sed solam dei gratiam conlaudamus: quia
Ioan. 4. in hoc apparuit charitas dei in nobis: quia filium suum vnigenitum misit deus in mundum, vt viuamus per eum. F
Non quasi nos dilexerimus deum, sed quoniam ipse prior dilexit nos, & misit filium suum propiciationem pro peccatis nostris. Hanc offert deuotio fidelium pro se suisque omnibus, id est ad se vel genere vel familiaritate vel qualibet alia conditione, sub eiusdem fidei professione pertinentibus, tam viuentibus videlicet quàm defunctis. Et hoc qua spe fideles faciant, subiungitur. Quia non pro aliquo terreno appetitu, non pro aliquo temporali lucro, sed solummodo pro redemptione animarum suarum. Quia vt A-
Ephe. 1. postolus dicit: In ipso habemus redemptionem per sanguinem eius, remissionem peccatorum. Pro spe salutis & incolu-

incolumitatis suæ. Pro spe videlicet æternæ salutis. Spe e- Roma. 8.
A nim salui facti sumus. Si autem quod non videmus speramus, per patientiam expectamus. Nec solùm pro salute æterna, sed etiam pro temporali incolumitate, id est corporali sanitate. Incolumitas enim dicitur, sanitatis integritas. Vtraque enim salus, & animæ scilicet & corporis, ab illo est, de quo in Psalmo canitur, domini est salus. Et vt Psal. 3.
vtraque ab illo expectetur, pertinet ad pietatem religionis, de qua testatur apostolus dicens: Pietas autem ad o- 1. Tim. 4.
mnia vtilis est, promissionem habens vitæ quæ nunc est & futuræ. Tibi inquit reddunt vota sua æterno deo viuo & vero. Iuxta quod in Psalmo dicitur: & redde altissimo Psal. 49.
vota tua. Vota videlicet fidei & piæ deuotionis, per quam August.
B nosmetipsos deo vouemus & reddimus. Quisquis enim bene cogitat quod deo voueat & quæ vota persoluat. Hoc exigitur, hoc debetur, vt seipsum voueat & reddat. Imago Cæsaris reddatur Cæsari: imago dei reddatur deo. Sed sicut videndum est quid offerat, ita etiam considerandum Mat. 22.
est vbi offerat. Quia veri sacrificij, extra catholicam ecclesiam locus non est. Vnde multum consequenter adiungitur in mysterio: *Communicantes & memoriam venerantes in primis gloriosæ semper virginis Mariæ genitricis dei & domini nostri Iesu Christi: sed & beatorum apostolorum ac martyrum tuorum*, & cætera vsque vbi dicitur, *& omnium sanctorum tuorum*. Quos dicit communicantes & memoriam vene- Aug. 1 lib. senten. ca. 15. 10. 3. & cau. 1. q. 1. Extra.
C rantes beatæ genitricis dei & apostolorum ac martyrum & omnium sanctorum: nisi & se ipse sacerdos qui offert, & omnes circumadstantes, qui simul offerunt vnum sacrificium laudis? Quod vt deo possit esse acceptum & beneplacitum, non alibi hoc offerunt, & sacerdotes & ecclesia cum sacerdotibus nisi in communione & societate sanctorum, in quibus voluit idem omnipotens deus ecclesiæ suæ constare fundamentum. Sicut apostolus fidelibus dicit: Estis ciues sanctorũ & domestici dei, superædificati super fundaméta apostolorũ & prophetarũ. In eorũ ergo cõmunione & memoriæ veneratione, tãquã in vero tẽplo dei offert deuotio fideliũ deo vota & munera. Et ideo sũt cõmunicãtes eorum memoriæ tanquã filij patrũ, & sectatores præcedentium. Quid est enim communicantes, nisi communionem Ephes. 2.

nem & societatem tenentes? Et quid est eorum memoriam venerari, nisi cum pietate & humilitate eorum vestigia sequi? Ad hanc societatem nos beatus Ioannes apostolus inuitans, dicit: Quod vidimus & audiuimus, annũciamus & vobis. Et quasi interrogarem⁹ quid nobis prodesset illa annunciatio, ait: Vt & vos societatem habeatis nobiscum. Et ne quis contẽnendum putaret hanc societatem tanquã hominum, continuò adiunxit: Et societas nostra sit cum patre & cum filio eius Iesu Christo. Manifestè ostendens, quia quicunque societatem cum deo habere desiderant, primò ecclesiæ societati debent adunari. Illámque fidem addiscere & eius sacramẽtis imbui, quam apostoli ab ipsa præsente in carne veritate perceperunt. Per ipsa enim & sancti martyres passi sunt. Et in ipsa catholica fundatur ecclesia, cui beatę & gloriosę virginis partus extitit salutis exordium. Quæ verè semper creditur virgo. Quia vel si domino nascẽte corrũperetur eius integritas, non iã ille de virgine nasceretur. Eúmq; falsò, quod absit, natum de virgine Maria tota confiteretur ecclesia. Cui pro humani generis salute vero homini facto, singulari munere datum est: vt statim ex quo in vtero virginis concipiet, homo fieri inciperet, verus esset & deus. Vnde & eadem gloriosa semper virgo Maria verè dei genitrix credenda & confitenda est. Ipsa ergo in hac venerabili commemoratione sanctorũ prima ponitur, per quam & illi & nos meruimus auctorem vitæ suscipere. Et ei coniungitur commemoratio beatorum apostolorum & martyrum, non solùm eorum qui hic nominatim exprimũtur, sed & omnium quorũ nec numerũ nec nomina scire possumus. Et tamen per gratiã fidei & charitatis si istis paucis & præcipuis nominatis piè adhæremus, etiam illis quos nosse nõ possumus, in horum communione copulati sumus. Seruãtes societatem spiritus in vinculo pacis, vt cum eis vnũ corpus & vnus spiritus simus. Sequitur in mysterio. *Quorum meritis precibúsque concedis, vt in omnibus protectionis tua muniamur auxilio, per Christum dominum nostrum.* Propter merita namque & intercessiones sublimium iustorum, quos intercessores & patronos quærimus, nostræ infirmitati dominus miseretur, & propiciatur. Vt in omnib⁹ siue aduersis siue prosperis, ne vel in illis deficiamus, vel in istis decipiamur, protectionis

1. Ioan. 1. — *Ibidem.* — *Vigilius.* — *Augustin.* — *Seuerian.* — *Ephe. 4.*

D — E — F

tectionis eius muniamur auxilio. Denique obsesso ab hosti bus, Ezechiæ & auxilium eius inuocanti, ait: Et ciuitatem hanc saluabo, & protegã eam propter me & propter Dauid seruum meum. Sic & Moyses pro populo peccante intercedens, patrum fecit memoriam. Et ita deprecans, dominum placare curabat: Quiescat, inquiens, ira tua, & esto placabilis super nequitia populi tui. Recordare Abraham, Isaac & Israel seruorum tuorum, quibus iurasti per temetipsum, dicens: Multiplicabo semen vestrum sicut stellas cœli. Nec dubitãdum est fidelium petitiones ab spiritibus iustorũ sciri. Quia qui intus omnipotentis dei claritatem vident, nullo modo credendũ est, quia sit foris aliquid quod ignorẽt. Postulat ergo ecclesia suffragia sanctorum martyrum, nec tamen erigit altaria in quibus sacrificet martyribus: sed vni deo & martyrum & nostro. Ad quod sacrificium, sicut homines dei qui mundum in eius confessione vicerunt, suo loco & ordine nominantur: non tamen à sacerdote qui sacrificat inuocantur. Deo quippe non ipsis sacrificat, quamuis in memoriis sacrificet eorum, quia dei sacerdos est non illorum. Ipsum verò sacrificium corpus est Christi. Quod nõ offertur ipsis, quia hoc sunt & ipsi. Sequitur in mysterio.

Vigilius. *4. Re. 19.* *Exo. 32.* *Greg. ca. 3. li. 2. expositiõis in. 1 cap. Iob.* *Augustin.*

A, B

Hanc igitur oblationem seruitutis nostræ, sed & cunctæ familiæ tuæ, quæsumus domine ut placatus accipias, diésque nostros in tua pace disponas: atque ab æterna damnatione nos eripi, & in electorũ tuorũ iubeas grege numerari. per Christũ dominũ nostrũ. Et in his verbis, vnitas ecclesiæ offerentis ostenditur. Quando in illa sacrosancta oblatione communis seruitus exhibetur deo, tam à sacerdotibus, quàm à cũcta familia domus dei. Hęc autem est seruitus, quæ nulli alij debetur, nec sanctis angelis, nec sanctis animabus: nisi vni deo viuo & vero, de quo nobis præcipitur. Dominum deum tuũ adorabis, & illi soli seruies. Et si enĩ ab homine fit vel offertur, tamẽ sacrificiũ res diuina est. Vnde & alibi diuina lege præcipitur. Sacrificãs diis eradicabitur, nisi domino soli. Vnde meritò illi in cœlestibus sedibus cõstituti immortales & beati: quia nos mortales & miseros, vt immortales beatiq; simus, misericorditer diligunt: nolunt nos sibi sacrificare, sed ei cuius & ipsi nobiscum sacrificium se esse nouerunt. Cum ipsis enim sumus vna ciuitas dei, cui dicitur in psalmo: Gloriosa dicta sunt

C

Deut. 6. *Psal. 86.*

sunt de te, ciuitas dei. Cuiꝰ pars in nobis peregrinatur, pars in illis opitulatur. Oratur itaque deus vt hanc oblationem quam illi soli debita seruitute defert ecclesia, placatus accipiat. Hæc est enim vera oblatio, in qua filius offertur, pater reconciliatur. Quia vt Apostolus ait: Christus dilexit nos, & tradidit semetipsum pro nobis oblationem & hostiam deo in odorem suauitatis. Et vt tali oblatione placatus, dies nostros quibus in hac mortalitate inter diuersa pericula, & tentationes, & impugnationes viuimus, in sua pace disponat. Ita omnia sua pietate moderando, vt ferre possimus: vt ab eius pace non deficiamus. Vt & si in mundo pressuram habemus, in illo pacem habeamus. Finito autem huius mortalitatis cursu, ab æterna damnatione ereptos, in electorum suorũ grege nos adnumerare dignetur. Quia ipsa quoque perennis regni prædestinatio ita est ab omnipotenti deo disposita, vt ad hoc electi ex labore perueniant: quatinus postulãdo mereamur accipere, quod eis omnipotens deus ante secula disposuit donare. Sequitˀ in mysterio. D E

Ephe.5.

Gregorius.

Quã oblationẽ tu deus in omnibus quæsumus benedictã, adscriptã, ratã, rationabilẽ, acceptabilemq; facere digneris: vt nobis corpus & sanguis fiat dilectissimi filii tui domini dei nostri Iesu Christi.

Oratur oĩpotens deus vt oblationẽ suis sacris altaribus impositã & tantis precibus commendatam, ipse per virtutẽ spiritus descendentis ita legitimam & perfectam eucharistiã efficiat, vt in omnibus sit adscripta, id est in numerum placitorum sibi munerum recepta. Sit etiam rata, id est immobili firmitate perpetua. Hoc nanque dicitur ratum, quod est immobili ratione firmum & inconuulsum. Sit quoque eiusdem spiritus sancti operanti virtute rationabilis, & per hęc omnia singulariter deo grata & acceptabilis. Vt quamuis de simplicibus terræ frugibus sumpta, diuinæ benedictionis ineffabili potẽtia, efficiatur fidelibus corpus & sanguis vnigeniti filij dei. sicut ipse vnigenitus testatur, dicẽs: Caro enim mea verè est cibus, & sanguis meus verè est potus. Vt per hunc cibum & potum impleatur in mentibus sumentium quod ipse promittit dicens: Sicut misit me viuens pater, & ego viuo propter patrem. Et qui manducat me, & ipse viuit propter me. Hæc est ergo vera & æterna hostia, quia vera & æterna eius est virtus, vera & æterna F

Aug. c.4 li.3. de tri.

Ioan.6.

Ibidem.

per eam

per eam perficitur salus. Est enim noui & æterni testamen
ti. Hæc est rationabilis hostia, plena videlicet rationis, ple
A na mysterij. Quæ non corporali mactatione, vt in veteri-
bus sacrificiis fiebat, sed spirituali ratione celebratur, & fi-
dei puritate exhibetur. Iuxta Apostolum fidelibus præci-
pientem, rationabile obsequium vestrum. Vt enim hoc A- Rom.12.
postolus diceret, vtique de spirituali sacrificio loquebatur.
Vnde & alibi ait: Necesse est ergo exemplaria quidem cœ Hebr.9.
lestium his mundari. Ipsa autem cœlestia melioribus ho-
stiis quàm istis. Vt enim corda fidelium fierent cœlestia, &
sicut portauerant imaginem terreni, portarent & imagi- 1.Cor.13.
nem eius qui de cœlis est: & qualis cœlestis tales fierent &
cœlestes, non brutorum animalium cruore, sed rationabilis
B sanguinis Christi oblatione mundari debuerant. Qui (vt i-
dem testatur Apostolus) per spiritum sanctum semetipsum
obtulit immaculatum deo. Hæc nanque nobis in sacramen Hebræ. 9.
to corporis & sanguinis filij dei quotidie instauratur. Hoc
corpus & hic sanguis, non in spicis & in sarmentis colligi- Aug.de cō
tur, sed certa consecratione mysticus, fit nobis, non nasci- sec. dist. 2.
tur. Cùm panis & vini creatura, in sacramentum carnis & Panis.
sanguinis eius ineffabilis spiritus sanctificatione transfer-
tur. Quod autem non ita fit, quamuis sit panis & calix, ali-
mentum est refectionis, non sacramentum religionis quo
diuinum altare Christus impleuit. Inuitauit ergo dominus De cō. dist
seruos, & præparauit eis cibum seipsum. Quis audeat man- 2. Inuitat.
C ducare dominum suum. Et tamen ait: Qui manducat me,
viuit propter me? Quando Christus manducatur, vita man
ducatur. Nec occiditur, vt manducetur, sed mortuos viui-
ficat. Quando manducatur, reficit, sed non deficit. Man-
ducetur Christus. Viuit manducatus, quia surrexit occi-
sus. Nec quando manducamus, partes de illo faciamus. Et
quidem in sacramento sic fit. Per partes manducatur in sa-
cramento, & manet integer totus in cœlo, manet integer
totus in corde tuo. Sequitur in mysterio. *Qui pridie
quàm pateretur, accepit panem in sanctas ac venerabiles manus su-
as, eleuatis oculis in cœlum ad te deum patrem suum omnipotētem,
tibi gratias agēs benedixit, fregit, deditque discipulis suis, dicēs: ac-
cipite & manducate ex hoc omnes. Hoc est enim corpus meū. Simili
modo postea quàm cœnatum est, accipiens & hunc præclarū calicem
in san-*

in sanctas ac venerabiles manus suas. item tibi gratias agens, benedixit, dedit discipulis suis dicens: accipite & bibite ex hoc omnes. D
Hic est enim calix sanguinis mei noui ac æterni testamenti mysteriũ fidei, qui pro vobis & pro multis effundetur in remissionem peccatorum. Hæc quotienscunque feceritis, in mei memoriam facietis. Vnde vniuersalis ecclesia iugem memoriam domini & redemptoris sui celebret, ipse dominus tradidit apostolis, & apostoli generaliter omni ecclesiæ. In his verbis, sine quibus nulla lingua, nulla regio, nulla ciuitas, id est nulla pars ecclesiæ catholicæ conficere potest, id est consecrare sacramentum corporis & sanguinis domini. Quod Apostolus manifestè demonstrat ad Corinthios, vbi dicit: Ego enim accepi à

1.Cor.11. domino, quod & tradidi vobis: quoniam dominus Iesus in qua nocte tradebatur, accepit panẽ, &c. Christi ergo virtute E
& verbis, iste panis & calix ab initio consecratus est. Christi virtute & verbis semp cõsecratur & cõsecrabitur. Ille in suis

Amb.ca.9 lib. de iis qui initiãtur mysteriis. & ca. 4. li. 4. de sacramen. sacerdotib' quotidie loquitur. Illius sermo est, qui cœlestia sacramenta sanctificat. illi funguntur officio, ille maiestate diuinæ potestatis operatur. Ipse est enim ille verus Melchisedech, qui hæc sancta sacrificia quæ ille tunc in mysterio præfigurauit, per oblationem sui corporis suique sanguinis adimpleuit. Ipse ea spũs paracleti virtute & cœlesti benedictione sanctũ corpus & sanguinẽ suum esse perficit. Quod

Hier. ad c. 26. Matt. Matth. 26 Marc. 14. Luc. 22. Gala. 3. autem de pane ait: Accipite & manducate ex hoc omnes. Similiter autem & de calice: accipite & bibite ex hoc omnes, commendatio est vnitatis & pacis. Vt per hoc mysterium Christo participantes, vnum omnes simus in illo. Sicut Apostolus affirmat, dicens: Non est Iudæus neque Græcus, non est seruus neque liber, non est masculus neque fœmina: omnes enim vos vnum estis in Christo Iesu. Hanc nanque vnitatem in communicatione huius sacramenti, a- F

1.Cor.10. libi commendat, dicens: Calix benedictionis cui benedicimus, nónne communicatio sanguinis Christi est? & panis quem frangimus, nónne participatio corporis domini est? Quoniam vnus panis, vnum corpus multi sumus: omnésque de vno pane participamur. Tanta enim est ecclesiæ in Christo vnitas, vt quomodo vna fides, & vnum ba-

Esa.19. ptisma & vnum altare, de quo ait Esaias: Erit altare domini in medio terræ Aegypti, ita vnus vbique sit panis corporis

Christi

Christi,& vnus calix sanguinis eius. Vnde & ecclesia ex tra
A ditione apostolorum,his verbis consecrans mysterium sa-
cri corporis & sanguinis domini, designanter dicit domi-
num dixisse apostolis: accipite & mãducate ex hoc omnes.
hoc est enim corpus meũ. Simili modo postea q̃ cœnatum
est,accipiens & hunc prçclarũ calicẽ. Attendat fidelis quis-
que,quid est quod dicit hũc. Videlicet,quia calix quem sa-
cerdos catholic⁹ sacrificat,nõ est alius nisi ipse quẽ domin⁹
apostolis tradidit. Sicut ergo de sanguine,sic quoq; de cor-
pore sentiẽdum & tenendu est. Quod autẽ præclarũ calicẽ
dicit,manifestè de psalmo scriptum est,vbi canitur: Et calix *Psal. 22.*
tuus inebrians q̃ præclarus est. Et verè præclarus, quo san-
guis offertur immaculatus,nulla peccati nebula tact⁹. Hoc *Amb. ca. 3*
B poculo fideliũ inebriatur affectus vt lætitiã induat de re- *li. 5. de sa-*
missione peccati. Hac ebrietate animus nõ cõfunditur,sed *cramẽtis.*
cõsecratur. Item quod in his verbis dicitur, noui & æterni *Seuerian⁹*
testamẽti,manifestum est quia in euãgelio non legitur, nisi
tantũmodo calix sanguinis mei noui testamenti. Sed quod
hic additur çterni, & in propheticis & in apostolicis literis
continetur. Nã & in Esaia legimus promittentẽ deum fide- *Esa. 55.*
libus: & feriã vobiscum pactũ,id est testamentum sempiter
num. Et in Ezechiele vbi promittit ecclesiæ: Et suscitabo ti *Eze. 16.*
bi pactũ sempiternum. Et Apostolus dicit: Vna enim obla- *Hebr. 11.*
tione consummauit in sempiternũ sanctificatos. Et iterum:
Deus autẽ pacis,qui eduxit de mortuis pastorẽ magnum o- *Ibidem. 13*
C uium in sanguine testamẽti æterni dominum nostrũ Iesum
Christũ. Ideo ergo sanguis Christi nouum est testamẽtum, *Augustin.*
quia noua dilectio,qua vsq; ad mortẽ ĩ nouissimis seculorũ
temporibus nos dilexit. Dilectio ista nos innouat, vt simus
homines noui,hæredes testamenti noui. Sicut & Apostolus
docet,dicẽs: Quãto magis sanguis Christi qui per spiritum *Hebr. 9.*
sanctũ semetipsum obtulit immaculatũ deo, emũdauit con
scientiam vestrã ab operibus mortuis,ad seruiendũ deo vi-
uenti. Et ideo noui testamenti mediator est. Per hunc ergo
sanguinẽ noui testamenti qui effusus in remissionẽ pecca-
torũ,emũdauit: id est innouauit conscientiã fideliũ. Et fiũt
idem fideles iuxta eundẽ Apostolũ: Hçredes secundũ spem *Ibidem.*
vitæ æternç. & repromissionẽ accipiunt,qui vocati sunt æ-
ternæ hæreditatis. Et ideo sanguis ille verè noui & æterni

est testamenti, quia quos à vetustate innouat, ad æternam
Zacha. 9. hæreditatem perducit. Hinc Zacharias propheta velut ad D
ipsum dominum loquens ait: Tu quoque in sanguine testamenti tui, emisisti vinctos tuos de lacu, in quo non erat aqua. Quia videlicet per huius sanguinis effusionem, & antiqui iusti spe futuræ redemptionis deuincti ab inferni claustris educti sunt. Et per eandem etiam omnes credentes à peccatorum vinculis, & de lacu miseriæ & de luto fe-
Psal. 39. cis eripiuntur. Item quod hic dicitur mysterium fidei, & in illis verbis domini, quibus mysterium corporis & sanguinis sui tradidit, non legitur, videtur de alio loco euangelij sumptum esse. Vbi secundum Ioannem, de hoc eodem sacramento, quibusdam discipulis non credentibus loquens,
Ioan. 6. ait: Verba quæ ego locutus sum vobis, spiritus & vita sunt. E
Sed sunt quidam ex vobis qui non credunt. Ostendit enim se magnum dixisse mysterium, cùm ait: Verba quæ ego locutus sum vobis, spiritus & vita sunt. Cùm autem adiungit, sed sunt quidam ex vobis qui non credunt: ostendit istud mysterium non esse, nisi fidei & fidelium, qui illa verba fideliter audiunt. Et ideo eis spiritus & vita sunt, quia eos spiritualiter intellecta viuificant. Aut certè hæc verba de A-
1. Timo. 3. postolo sumpta sunt, vbi ait: Habentes mysterium fidei, in conscientia pura. Quia sicut sacramentum sanctæ trinitatis, ita & sacramentum dominicæ passionis & mortis quod illa oblatione frequentatur, æqualiter necessarium ad salutem, æqualiter in conscientia pura est sumendū ac retinen- F
dum. Quod etiam in baptismate celebratur, docente eodem Apostolo, ac dicente: Quicunque enim baptizati su-
Rom. 6. mus in Christo Iesu, in morte ipsius baptizati sumus. To-
Aug. ca. 5. li. 10. de ciuit. & ca. 1. lib. 2. de doct. Chri. tum ergo quod in hac oblatione dominica corporis & sanguinis agitur, mysteriū est. Aliud enim videtur, aliud intelligitur. Quod videtur, speciem habet corporalē: quod intelligitur, fructum habet spiritualem. Sciendum verò quòd
Cypria. epist. 3. li. 2. ad Ceciliū eundem calicem dominici sanguinis iuxta obseruātiam ecclesiæ catholicæ ab apostolis traditam, nisi mixtum aqua offerri non licet. Quia vinum fuit in redemptionis nostræ
Matth. 26 mysterio, cùm ait: non bibam amodo de hoc genimine vi-
Marc. 14. tis. Et de latere eius quod lancea transfixum est, aqua cum sanguine egressa vinum de vera carnis eius vite cum a-
qua

qua expressum ostendit. Hæc sunt enim sacramenta ecclesiæ sine quibus ad vitam (quæ vera vita est) non intratur.
A Ille sanguis in remissionem fusus est peccatorum. Aqua illa salutare temperat poculum. Hæc & lauacrum præstat, & potum. Hoc totum dominicæ oblationis mysterium quanta pietate & amore agendum & accipiendum sit, commendat nobis ipse dominus dicendo: Hæc quotienscunque feceritis, in mei memoriam facietis. Quod exponens Apostolus ad Corinthios ait: Quotiens enim mãducabitis panem hunc & calicem bibetis, mortem domini annunciabitis donec veniat. Illius ergo panis & calicis oblatio, mortis Christi est commemoratio & annũciatio. Quæ non tam verbis quàm ipsis mysteriis agitur, per quę nostris mentibus mors illa preciosa altius & fortius commendatur. *Ioan. 19.* *Seuerian.* *1. Cor. 11.*

B Quid est enim mortis Christi commemoratio, nisi charitatis eius commendatio? Quam nobis beatus euangelista Ioannes commendans, ait: Sciens Iesus quia venit eius hora, vt transeat ex hoc mundo ad patrem, cùm dilexisset suos, qui erant in mundo, in finem dilexit eos: id est vsque ad mortem eum dilectio illa perduxit. Quia tantum dilexit eos, vt moreretur propter eos. Hoc enim testatus est, dicens: Maiorem hac dilectionem nemo habet, vt animam suam quis ponat pro amicis suis. Propterea & iturus ad passionem, & per resurrectionis atque ascensionis gloriam discessurus è mundo, hoc sacramentum vltimum discipulis tradidit. *Ioan. 13.* *Augustin.* *Ioan. 15.*

C Vt memoriam tantæ charitatis per quam solam saluamur arctius eorum mentibus infigeret. Quatenus semper memores simus & quales & quantum ab eo dilecti simus. Quales, ne de nobis gloriemur: quantũ, vt de illo speremus. Quod vtrumque diligenter Apostolus exponit & inculcat, dicens: Vt quid enim Christus cùm adhuc infirmi essemus, secundum tempus pro impiis mortuus est? Et post paululum: Commẽdat autem, inquit, suam charitatem deus in nobis. Quoniam si cùm adhuc peccatores essemus Christus pro nobis mortuus est, multomagis iustificati nunc in sanguine ipsius, salui erimus ab ira per ipsum. Si enim cùm inimici essemus, reconciliati sumus deo per mortem filij eius: multò magis reconciliati salui erimus in *Rom. 5.* *Ibidem.*

vita ipsius. Hoc ergo agendum, hoc frequentandum commendauit ecclesiæ, quousq; ipse veniat in fine seculi. Quan do erit sanctorum requies, non adhuc in sacramento spei, D
quo in hoc tẽpore cõsociatur ecclesia quãdiu bibitur quod ex Christi latere manauit: sed iam in ipsa perfectione salutis æternæ, cùm tradetur regnũ deo & patri. Vt in illa perspicua cõtemplatione incõmutabilis veritatis, nullis myste-
Gre.c. 58. riis corporalibus egeamus. Hæc nanq; singulariter victima
li.4. dial. ab æterno interitu animã saluat, quæ illã nobis mortẽ vni-
Rom.6. geniti per mysterium reparat. Qui licet surgens à mortuis, iam nõ moritur, & mors ei vltra non dominabitur: tamẽ in seipso immortaliter atq; incorruptibiliter viuens pro nobis iterũ in hoc mysterio sacrę oblatiõis immolatur. Eius quippe ibi corpus sumitur, eius caro in populi salutem partitur. E
Eius sanguis, non iam in manus infidelium, sed in ora fidelium funditur. Hinc ergo pensemus quale sit pro nobis hoc sacrificium, quod pro absolutione nostra passionẽ vnigeniti filij semper imitatur. Sequit̃ in mysterio. *Vnde & memores sum⁹ domine nos tui serui, sed et plebs tua sancta Christi filii tui domini dei nostri, tã beatæ passionis, necnõ & ab inferis resurrectionis, sed & in cœlos gloriosæ ascensionis: offerimus præclaræ maiestati tuæ de tuis donis ac datis hostiam purã, hostiam sanctam, hostiam immaculatam panẽ sanctum vitæ æternæ & calicẽ salutis perpetuæ.* Quia dominus & saluator noster mysteriũ suæ mortis quã pro nostra omnium salute suscepit, tãta pietate memoriæ fidelium cõmendauit, vt per oblationem & participationem F
sui corporis & sanguinis, eãdem viuificam mortẽ suam nos annunciare voluerit, donec ipse veniat in maiestate de cœlis: quid dignius aut salubrius fieri potest, quàm vt hæc veneranda mysteria frequentãdo, memores sint pariter sacerdotes & populus, vniuersa videlicet ecclesia beatæ passiõis
Rom.4. eius? Et verè beatę, quæ sine peccato suscepta totius mundi peccata deleuit. Et quia non solùm (vt Apostolus ait) mortuus est propter delicta nostra, sed etiam resurrexit propter iustificationem nostrã, ac sic mortem nostram moriẽdo destruxit, & vitam resurgendo reparauit, memores simus resurrectionis quoque eius ab inferis. Per quam spoliato infer-
Osee.13. no sicut propheta prædixerat: Ero mors tua ô mors: morsus tuus ero inferne. Impleuit in se quod ante fuerat prophetatum:

tum. Quoniam nó derelinques animam meam in inferno: *Psal. 15.*
A nec dabis sanctum tuuum videre corruptioné. Et quoniam
resurgens à mortuis factus est primitiæ dormiétium & pri *1.Cor.15.*
mogenitus mortuorum: quia iam non moritur, mors ei vl- *Rom.6.*
trà non dominabitur: & assumptus in cœlum, sedit à dex- *Marc. 16.*
tris dei, simus memores etiã gloriosæ ascésionis eius. Quan
do congratulantibus angelis, & omni militia cœlestis exer
citus in eius laudibus concrepante, impleuit quod in psal-
mo canitur: Ascendit deus in iubilatione, & dominus in vo *Psal. 46.*
ce tubæ. Vnde & in alio psalmo, cœlestium virtutum voces
introducuntur, in eius gloriosa ascensione admirando in-
terrogantium, & congratulando respondentium, cùm in-
terrogantes dicunt: Quis est iste rex gloriæ? & responden- *Psal.23.*
B tes adiungunt: Dominus fortis & potens, dominus potens
in prælio. Et iterum interrogant: Quis est iste rex gloriæ?
& respondent: Dominus virtutum ipse est rex gloriæ. Hæc
est enim tota salus nostra & vita, si incessanter eius memo-
res simus, & illi soli nos deberi cognoscamus, cuius passione
firmati, cuius vulnere sanati, cuius sanguine mundati, mor-
te viuificati, resurrectione coexcitati, ascensione in cœlis
glorificati sumus. Quia & ideo preciũ redéptionis nostræ *Seuerian.*
in sacramento dominici corporis & sanguinis celebramus,
vt semper illud fideliter meditemur, quod Apostol⁹ monet
dicés: Et non estis vestri, empti enim estis precio magno. *1. Cor.6.*
Memores igitur dominicæ passiõis, resurrectionis & ascen
C sionis tam sacerdotes quàm plebs fidelis, offerũt præclaræ,
id est præcellenti & gloriosæ maiestati dei, non de suo, sed
de eius donis ac datis, iuxta quod scriptũ est: Et quæ de ma
nu tua accepimus, dedimus tibi. Ipse est enim qui educit pa *Psal.103.*
nem de terra, & præstat vt vinum lætificet cor hominis. Ex
his ergo creaturæ dei fructibus, id est bonitatis & pieta-
tis eius muneribus, offert illi ecclesia in mysterio domini-
ci corporis & sanguinis, verè hostiam puram, hostiam san-
ctam, hostiam immaculatam. Quæ trina repetitio tanti my
sterij est laudatio, & laudando commendatio, & commen-
dando piæ deuotionis excitatio. Hæc nanque hostia cor-
pus & sanguis est, vt beatus Petrus ait: Agni incontamina- *1.Pet.1.*
ti & immaculati Christi. Quam verò hostiam puram san-
ctam & immaculatam offert ecclesia, nisi quã à domino ac-

cepit: id est panem sanctum vitæ æternæ, & calicem salutis perpetuæ? In hoc enim pane sumentibus vita æterna est. Si- D
cut ipse dominus panis viuus & panis vitæ, de seipso ait:
Ioan. 6. Ego sum panis viuus qui de cœlo descendi. Et iterum: Pa-
Ibidem. nis enim dei est qui descendit de cœlo, & dat vitam mun-
Ibidem. do. Et alio loco dicit: Qui manducat hunc panem, viuet in æternum. Et quod iste sit panis corporis sui, ipse exponit dicendo: Et panis quem ego dabo, caro mea est pro mundi vita. Ergo & calix sanguinis eius, calix est salutis æternæ. Quia sanguis ille pro multis effusus est in remissionem peccatorum: vt saluum faceret populum suum à pec-
Psal. 115. catis eorum. De hoc canitur in psalmo: Calicem salutaris accipiam, & nomen domini inuocabo. Est enim calix i-
ste salutaris accipienti: & in sacramenti perceptione, & in E
passionis imitatione, sicut à sanctis martyribus acceptus est. Hunc panem significauit manna, hunc panem tribuit alta-
Aug. tract. 26. ad ca. 6. Ioannis re dei. Nouerunt fideles corpus Christi. Si in Christi corpore homo fuerit, accipiet de Christi spiritu. Sicut autem corpus nostrum sine spiritu non potest viuere, sic non habebit spiritum vitæ, nisi qui in Christi corpore fuerit inuentus. Qui vult viuere accedat, credat, viuat deo de deo: incorporetur, vt viuificetur. Hoc est enim mãducare illam escam & illum bibere potum. In Christo manere, & illum manentem in se habere. Sicut ipse dicit: Qui manducat meam carnem, & bibit meum sanguinem, in me manet, &
ego in illo. Sequitur in mysterio. *Supra quæ propicio ac* F
sereno vultu respicere digneris, & accepta habere, sicuti accepta habere dignatus es munera pueri tui iusti Abel: & sacrificium patriarchæ nostri Abrahæ, & quod tibi obtulit summus sacerdos tuus Melchisedech, sanctum sacrificium, immaculatam hostiam. Oratur deus, vt super hæc munera vitæ & salutis, quæ præclaræ maiestati eius offeruntur, propicio, id est placabili, & sereno vultu respicere dignetur. Non quia vultus eius ali-
Iacob. 1. quando obnubilatur, & aliquando serenatur: cùm ipse sit pater luminum, vt beatus Iacobus dicit: Apud quem non
1. Ioan. 1. est transmutatio, nec vicissitudinis obumbratio. Et beatus Ioannes testetur: Quoniam deus lux est, & tenebræ in eo non sunt vllæ. Sed qui semper in lumine est, tunc super nos serenat & illuminat vultum suum: quando declarat

clarat super nos misericordiam suam . Sic in psalmo o- *Psal. 66.*
A rantes dicimus : Inluminet vultum suum super nos & misereatur nostri . Sicut econtrario , de quibusdam qui eius misericordia indigni sunt , ipse dicit : Abscondam faciem meam ab eis . & iterum quibus se placabilem præbet, promittit dicẽs: Et nõ auertã faciẽ meã à vobis: vnde & beat⁹ *Eze. 39.*
Daniel istis ipsis verbis exorat dicens: Exaudi dñe preces *3. Reg. 8.*
serui tui, inlumina faciẽ tuã super sanctuariũ tuũ, & propicius intende populũ istũ super quem inuocatũ est nomen tuum . Neque enim deus humana forma faciem aut vultũ *Ioan. 4.*
habere putandus est . Quia vt dominus in euangelio ait: Spiritus est deus , & eos qui adorant eum , in spiritu & veritate oportet adorare . Sed facies & vultus dei , præsen-
B tia eius est . Quid est enim facies dei super nos inluminata , nisi eius præsentia declarata ? Cùm misericordiam & bonitatem ipsius præsentem nobis adesse sentimus. Sic & respicere dei visitatio pietatis eius est . Sicut in *Psal. 79.*
psalmo orantes dicimus : Deus virtutum conuertere, respice de cœlo : & vide & visita vineam istam . Oratur itaque omnipotens deus, vt placabilis & propicius factus , sereno vultu id est declarata bonitatis & pietatis suæ præsentia respiciat dignanter ecclesiæ suæ munera . Et accepta ac beneplacita habeat , sicut munera pueri sui iusti Abel . Cuius fides & iustitia & oblationis acceptatio , & in lege veteri commendatur , vbi scri- *Gene. 4.*
C ptum est . Et respexit deus ad Abel , & ad munera eius. Et in euangelio dicente domino . A sanguine Abel iu- *Matt. 23.*
sti vsque ad sanguinem Zachariæ filij Barachiæ . Et apo- *Heb. 11.*
stolo , vbi ad Hebræos scribit . Fide plurimam hostiam Abel quàm Cain obtulit deo , per quam testimonium consecutus est esse iustus : testimonium perhibente muneribus eius deo , & per illam defunctus adhuc loquitur . Qui non ætate , sed puritate & simplicitate puer dei appellatur . Sicut etiam de Dauid , qui mortuus est senex & ple- *Luc. 1.*
nus dierum , tamen in euangelio dicitur . Et erexit cornu salutis nobis , in domo Dauid pueri sui. Et sicut sacrificiũ, inquit Patriarchæ nostri Abrahæ . Vtiq; quod sacrificauit *Gene. 22.*
in oblatione vnigeniti filij sui Isaac offerens eũ deo in holocaustũ. Quod ita acceptũ fuit, vt statim mererẽ audire.

Per memetipsum iuraui, dicit dominus: quia fecisti rem
hanc & non pepercisti filio tuo vnigenito propter me, be- D
nedicam tibi & cætera. Qui est patriarcha, non tantum If-
Gene.17. raëliticæ plebis secundum carnem, sed etiam noster secú-
dum fidem. Sicut ei promissum est, quia patrem multarú
gentium posui te. Adiungitur adhuc. Et quod tibi obtu-
lit summus sacerdos tuus Melchisedech. De quo mani-
Gene.14. festè scriptura dicit: Et Melchisedech rex Salem protulit
panes & vinum, erat enim sacerdos dei altissimi, & bene-
dixit Abraham. Cuius & sacerdotium & sacrificium tan-
tum magnificatur: vt dicat de eo apostolus ad Hebræos
Heb.7. scribens: Primùm quidem Melchisedech, qui interpre-
tatur rex iustitiæ, Deinde rex Salem, quod est rex pacis.
Sine patre, sine matre, sine genealogia: neque initium E
dierum, neque finem vitæ habens. Assimilatus autem per
omnia filio dei, manet sacerdos in perpetuum. Quod ve-
rò post hæc omnia subiungitur: sanctum sacrificium, im-
maculatam hostiam, ad superiora referendum esse videtur,
Vbi dictum est supra quæ propicio ac sereno vultu respi-
cere digneris: vt ad complendam petitionem subiunctum
sit. Hoc autem totum exoratur omnipotens deus, videli-
cet vt sacrificium ecclesiæ ita acceptum habeat: vt sacrifi-
cium iusti Abel, & patriarchæ Abrahæ, & summi sacerdo-
tis Melchisedech. Quia & in illis antiquis sacrificiis, imago
erat huius veri sacrificij: & hoc ipsum vni deo auctori v-
triusque testamenti & vtriusque sacrificij, ordinatissima F
temporum dispositione, tunc placebat in præfiguratio-
Aug. ne venturæ veritatis, quod & nunc placet in adimpletio-
Gene.4. ne eiusdem veritatis. Nam & in sacrificio Abel, quod de
primogenitis ouium, & adipibus earum oblatum, sacri-
ficio Cain quod ex terræ fructibus offerebatur prælatum
est, noui testamenti fides præfigurabatur. Quæ ex inno-
centia gratiæ deum laudans veteris testamenti terrenis
operibus anteponitur. Et immolatione vnici & dilecti
filij Abrahæ, immolatio eius præsignabatur, de quo di-
Mat.3. cit pater: Hic est filius meus dilectus, in quo mihi com-
Roma.8. placui. Vnde ait Apostolus. Qui filio suo proprio non
pepercit, sed pro nobis omnibus tradidit illum, & sacri-
ficium Melchisedech tam verè erat significatio sacrifi-
cij Chri-

cij Christi, vt inde prædictum sit: Tu es sacerdos in æternum secundum ordinem Melchisedech. Sequitur in Psal.109.
A mysterio: *Supplices te rogamus omnipotens deus, iube hæc perferri per manus sancti angeli tui in sublime altare tuum, in conspectu diuinæ maiestatis tuæ: Vt quotquot ex hac altaris participatione sacrosanctum filii tui corpus & sanguinem sumpserimus, omni benedictione cœlesti & gratia repleamur. Per Christum dominum nostrum.* Hæc verba mysterij, tam profunda tam mira & stupenda, quis comprehendere sufficiat, quis inde dignè aliquid loquatur? Magis veneranda sunt & pauenda, quàm discutienda. Beatus tamen Gregorius idoneus tanti sacramenti interpres in quodam loco aliquid de his tanquam de re ineffabili penè ineffa-
B biliter loquitur. Quis enim fidelium inquit, habere dubium possit, in ipsa immolationis hora ad sacerdotis vocem cœlos aperiri: in illo Iesu Christi mysterio angelorum choros adesse: summis ima sociari, terram cœlestibus iungi, vnum quid ex visibilibus atque inuisibilibus fieri? Idem etiam doctor, quomodo accipiendum sit sublime altare dei in conspectu diuinæ maiestatis eius quodam loco subtiliter ostendit: exponens illum versiculum psalmi: constituite diem solennem in confrequentationibus vsque ad cornu altaris. Dies inquit solennis est domino compunctio cordis nostri. Sed tunc in confrequentatione dies solennis constituitur: cùm in lachrymis pro
C amore eius assiduè mens mouetur. Cui velut si diceremus, quandiu ista acturi sumus, quandiu tribulatione afficimur: ilico terminum quousque fieri debeat subiunxit dicens: Vsque ad cornu altaris. cornu quippe altaris, est exaltatio sacrificij interioris. Vbi cùm venerimus, iam nulla necessitas est, vt solennem diem domino de nostra lamentatione faciamus. Beatus quoque Augustinus de eodem sublimi altari diuino, exponens versiculum psalmi: lauabo inter innocentes manus meas, & circundabo altare tuum domine, sic breuiter designat: Munda inquit, faciam inter innocentes opera mea, quibus amplexabor sublimia tua. Item alio loco, exponens illum versiculum: Et introibo ad altare dei, ad deum qui lætificat iuuentutem meam, de eadem re sic dicit: Est enim quoddam

Gre. ca.58 libro. 4. dialog. Et dist. 2. de cose. Quid sit sanguis

Psal. 117.

Gre. ca. 21 lib. 9. ad cap. nonu Iob.

Psal. 25.

Aug. in enarra. 1. Psal. 25. to. 8.

Aug. in enarratiõe Psal. 42.

quoddam altare dei inuisibile, ad quod non accedit iniustus. Ille solus accedit, qui ad istud securus accedit. D
Illic inueniet vitam suam: qui in isto discernit caussam suam. Quale ibi sacrificium est? Ipse qui intrat, assumitur in holocaustum. Et repetit aliis verbis, quid hoc altare sit. Ad deum inquiens, qui lætificat iuuentutem meam. Item alibi idem doctor, exponens eundem versiculum quem & beatus Gregorius. Si enim est, inquit, in domo illa sempiternum sacrificium laudis, & sacerdos sempiternus est: & altare sempiternum, pacata mens ipsa iustorum. Non ergo sufficiat in terra dies iste solennis, quo agnus occisus est. Sed constituite illum in condensis, scripturarum alta & secreta rimantes, quousque perueniatis exaltatis à deo mentibus vestris vsque ad eius diuinitatem. Et quid ibi aliud nisi laudes cantabimus? Quid ibi aliud dicemus: nisi deus deus meus es tu, & confitebor tibi: deus meus es tu, & exaltabo te? Non strepitu verborum ista dicemus. Sed dilectio inhærens illi, per seipsum clamat istam vocem. Dilectio ipsa vox est. Hæc de sublimi altari dei in conspectu diuinæ maiestatis eius, necessariò in hoc loco ex sanctorum patrum verbis posita sunt. Ne quis carnaliter cogitans æstimet in cœlis esse altare corporeum, ex cœlesti siue supercœlesti corpore factum. Sed potius iuxta sensum spiritualium patrum, intelligamus sublime altare dei, rationale, & intelligibile esse inelecta & rationali creatura: angelica videlicet & humana, quæ in sanctis angelis ex quo condita est, in contemplatione sui conditoris sublimata, & sibi inuicem per spiritum pacis vnita. verum, & sublime altare dei exsistit: ex quo accepit deus sempiternum sacrificium laudis & hostiam iubilationis. Ad cuius altaris vnitatem, adiungitur nunc per fidem, & in futuro per diuinæ contemplationis speciem omnis multitudo hominum electorum. Sed quandiu in ista mortalitate viuunt, antequàm re ipsa ingrediantur ad illud altare dei, antequàm perueniant vsque ad cornu altaris in orationibus & supplicationibus suis tanquam in inferioribus adhuc positi à supernis virtutibus iuuantur. Vt earum

Au. i. enar. psal. 117.

E

F

rum

rum interuentione exaudiantur : & quasi de sublimitate altaris suscipiantur . Sicut legimus & Danieli oranti, *Daniel. 9.*
A & deprecanti Gabrielem angelum apparuisse, eique dixisse : Ab initio precum tuarum egressus est sermo , & ego veni propter sermones tuos. Et nemo est adiutor me- *Daniel. 10*
us in omnibus his, nisi Michael archangelus princeps vester . Et in Zacharia propheta legimus pro consolatio- *Zacha. 1.*
ne, & liberatione populi dei angelum deprecantem & dicentem : Domine exercituum vsque quò tu non misereberis Hierusalem & vrbium Iuda, quibus iratus es, iste septuagesimus annus . Et respondit dominus angelo verba bona , verba consolatoria . Similiter & ad Tobiam *Tob. 12.*
Raphaël angelus dicit : Quando orabas tu cum lachrymis
B & sepeliebas mortuos : ego obtuli orationem tuam domino . Et nunc misit me dominus , vt curarem te & cætera . Fit ergo & in ista oratione & oblatione sacræ consecrationis , aliquid incomprehensibile & ineffabile , & multo his omnibus mirabilius . Vt per angelica ministeria & supplicationes, tanquam de sublimi altari diuinæ *Vigilius.*
maiestatis conspectibus offerantur. In illa immolationis hora cum adstantibus sibi ministris cœlestibus, Christus vt proposita consecret adesse credẽdus est. De qua re cõmodum videtur aliqua beati Ambrosij verba ponere de *Ambrosi' in cõmentariis lib. 1. ad ca. 1. Lucæ.*
expositione euangelij secundum Lucam. Non enim dubites inquit assistere angelum, quando Christus assistit, Christus immolatur. Etenim pascha nostrũ immolatus est Christus.
C Vnde non immeritò etiam Zachariæ deprecanti apparuit angelus à dextris altaris incensi. Quia veri sacerdotis iam nunciabatur aduentus, & cœleste sacrificium parabatur, in quo angeli ministrarent. Sic ergo ista cogitanda sunt, vt aliquid quo nihil sit melius atque sublimius, illa cogitatione conemur attingere. Similiter quoq; & illud quod *Amb. ibidẽ paulo superi' Lucæ. 1.*
sequitur. Vt omnes quotquot ex hac altaris participatione sacrosanctum filij tui corpus & sanguinẽ sumpserimus omni benedictione cœlesti & gratia repleamur. Ista enim munera ista sunt dona, super omnem gloriam constituta. Quibus fideles suos omnipotens deus reficiens glorioso filij sui corpore, viuificat, sanctificat, æternitati præparat. Per hæc

corda

corda fidelium omni benedictione cœlesti replet & gratia: tribuens corporibus castimoniam, mentibus fidem, cogitationibus puritatem. Per hæc tuetur suos misericordia, confirmat spe, munit charitate: vt tanta domini participatione, qui intra se deum suscipiunt: templum eius effici mereantur. Quid sit ergo per participationem corporis & sanguinis filij dei omni benedictione cœlesti & gratia repleri: & quantum hoc bonum debeat esuriri ac sitiri: audiamus beatum Ambrosium dulciter docentem & exhortantem. Christus ecclesiæ cibus, Christus est potus. Caro dei cibus, & dei sanguis est potus Christus nobis quotidie ministratur. Cibus iste non corpus impinguat, sed confirmat cor hominis. Hic est panis vitæ. Qui ergo vitam manducat, mori nõ potest. Accedite ad eum, & satiamini, quia panis est. Accedite ad eũ & potate, quia fons est. Accedite ad eũ & inluminamini, quia lux est. Accedite ad eũ & liberamini, quia vbi spiritus domini, ibi libertas. Accedite ad eum & absoluimini, quia remissio peccatorum est. Corpus domini Iesu, postulatio est diuinæ recõciliaionis, & protectionis æternæ. Accipe tibi munimentum. Suscipe dominum Iesum tuæ mentis hospitio. Vbi corpus eius, ibi Christus est. Cùm hospitium tuum aduersarius viderit occupatum cœlestis fulgore præsentiæ, intelliget locum tentamentis suis interclusum esse per Christum. Qui sit iste quæritur? Audi ipsum dicẽtem: Ego sum panis vitæ, qui venit ad me nõ esuriet: & qui credit in me non sitiet vnquam. Sequitur in mysterio.

Amb. cap. 9. de his q mysteriis, initiãtur.
Ioan. 6.

D E F

Memento etiam domine famulorum famularumque tuarum, qui nos præcesserunt cum signo fidei, & dormiunt in somno pacis. Ipsis & omnibus in Christo quiescentibus locum refrigerii lucis & pacis vt indulgeas deprecamur. Orat pia mater ecclesia etiã pro defunctis suis, & eos sacræ oblationis intercessione commendat: certissimè credens quia sanguis ille preciosus qui pro multis effusus est in remissionem peccatorum non solum ad salutem viuentium, sed etiam ad absolutionem valeat defunctorum. Sicut beatus Ioannes testatur dicens: Et sanguis filij eius Iesu Christi emundat nos ab omni peccato. Præcedunt enim fideles de corpore exeuntes ad dominum, sed non præciduntur ab ecclesia: quia præcedunt cum signo fidei, & dormiunt in somno pacis. Cum signo fidei: quia:

1. Ioan. 1.

quia ex aqua & spiritu sancto renati, quia Christi cruce & passione signati. Dormiunt autem tanquam verè in resurrectione suscitandi. Sicut dominus de puella quam suscitaturus erat, ait: Non est mortua puella sed dormit. Et de Lazaro: Lazarus amicus noster dormit, sed vado vt à somno exsuscitem eum. Vnde & apostolus de fidelibus defunctis dicit: Nolumus vos ignorare fratres de dormientibus, vt non contristemini sicut & ceteri qui spem non habent. Dormiunt ergo in somno pacis, quia ab vnitate & societate Christi & ecclesiæ, nec per hæreses, nec per schismata, nec per mortalia crimina separati sunt. In quibus & si aliquando fuerunt, tamen per pœnitentiam sanati, & per orationē ecclesiæ cui in Petro dictum est: quodcunque solueris super terram, erit solutum & in cœlis. reconciliati & redēptionis mysterio sociati, vtique in pace obierunt, miserante illo, qui non vult mortem peccatoris: sed vt conuertatur & viuat. Neque enim piorum animæ mortuorum, separantur ab ecclesia. Alioquin, nec ad altare fieret eorum memoria in communicatione corporis Christi: nec aliquid prodesset ad eius baptismū in periculis currere, ne sine illo finiatur hæc vita. nec ad reconciliationem, si forte per pœnitentiam vel malam conscientiam quisque ab eodem corpore separatus est. Cur enim fiunt ista, nisi quia fideles etiā defuncti, membra sunt eius? Quamuis ergo nondum cum suis corporibus, iam tamen eorum animę regnant cum Christo. Vnde & in Apocalypsi legitur: Beati mortui, qui in domino moriuntur. Amodo iam dicit spiritus vt requiescant à laboribus suis. Opera enim eorum sequuntur illos. Et iste est verus sabbatismus fidelium, id est requies, de qua apostolus dicit: Itaque relinquitur sabbatismus populo dei. Qui enim ingressus est requiem eius, requieuit ab operibus suis quemadmodum & à suis deus: Regnat itaque cum Christo nunc ecclesia in viuis & mortuis. Propterea enim sicut dicit apostolus: mortuus est Christus, vt & viuorum & mortuorum dominetur. Vnde & alibi ait: Quoniam non posuit nos deus in iram, sed in adquisitionem salutis per dominū nostrum Iesum Christum, qui mortuus est pro nobis vt siue vigilemus, siue dormiamus: simul cum illo viuamus. In quibus verbis vigilantes, viuentes, dormientes mortuos intel-

ligi

A B C

Matth. 9. *Ioan. 11.* *1. Thes. 4.* *Matt. 16.* *Aug. cap. 110. in enchiridio. Et de cura p mortuis agenda. cap. 18.* *Apoca. 14* *Heb. 4.* *Roma. 14* *1. Tessa. 5.*

ligi voluit. Sicut iterum dicit: Siue ergo viuimus siue mori-
Greg. cap. 25. lib. 4. dialogo. mur, domini sumus. Nam luce clarius cõstat, quia perfecto- D
rum iustorum animæ, mox huius carnis claustra exeunt, in
cœlestibus sedibus recipiuntur. Quod & ipsa veritas atte-
Luc. 17. statur dicens: Vbi fuerit corpus illuc congregabũtur aqui-
læ. Quia vbi ipse redẽptor noster est corpore, illuc procul-
Philip. 1. dubio colliguntur & animæ iustorum. Et Paulus dissolui
desiderat & esse cum Christo. Qui ergo Christũ esse in cœ-
lo non dubitat, nec Pauli animam in cœlo esse negat. Qui
etiam de solutione sui corporis atque inhabitatione patriæ
2. Cor. 5. cœlestis dicit: Scimus quoniam si terrestris domus nostra
huius habitationis dissoluatur, quod ædificationem habe-
mus ex deo, domum non manufactã æternam in cœlis. Ve-
rùm hoc de apostolis, martyribus, confessoribus, cæterísque E
perfectioris vitæ viris, vt iam diximus fieri credendum est.
Greg. Ibidem. pau. superius. vigilius. Nam sunt quorundam iustorũ animæ, quæ à cœlesti regno,
licet in beata requie, quibusdam adhuc mansionibus diffe-
runtur. In quo dilationis damno, quid aliud ostenditur, nisi
quod de perfecta iustitia aliquid minus habuerũt? At verò
nonnulli propter bona quidem opera ad electorum sortem
præordinati, sed propter mala aliqua quibus polluti de cor-
pore exierunt, post mortem seuerè castigandi, excipiuntur
flammis ignis purgatorij: & vel vsque ad diem iudicij lon-
ga examinatione à vitiorum sorde mundantur. Vel certè
Amb. cap. 110. Enchiridii. prius amicorum fidelium precibus, eleemosynis, ieiuniis,
fletibus, & hostiæ salutaris oblationibus absoluti pœnis, F
& ipsi ad beatorum perueniunt requiem. Illis ergo sacræ
victimæ mortuis prosunt: qui hîc viuendo obtinuerunt, vt
eos etiam post mortem bona adiuuent, quæ hic pro ipsis ab
aliis fiunt. Inter hæc autem, pensandum est quòd tutior via
sit, vt bonum quod quisque post mortem suã sperat agi per
alios, agat dum viuit ipse pro se. Beatius quippe est liberũ
exire, quàm post vincula libertatem quærere. Post illa ergo
Seuerian⁹ Ex Alcuino, pag. 89. verba quibus dicitur, qui nos præcesserunt cum signo fidei
& dormiunt in somno pacis, vsus fuit antiquorum, sicut e-
tiam vsque hodie Romana agit ecclesia, vt statim recita-
rentur ex dypticiis id est tabulis nomina defunctorũ. Atq;
ita post lectionem nominum, subiungerentur verba sequẽ-
tia. Ipsis & omnib⁹ in Christo quiescẽtibus, locũ refrigerij
lucis

lucis & pacis vt indulgeas deprecamur. Ipsis videlicet quorum nomina memorantur: & cæteris omnibus in Christo
A quiescentibus, de quibus dicit Apostolus: Et mortui qui in Christo sunt, resurgēt primi. locū refrigerij vbi nō sentitur ille ardor pœnarū, de quib⁹ diues ille in inferno sepult⁹ dicebat: quia crucior in hac flāma. & lucis, quā domin⁹ promittit fidelibus dicēs: Ego sum lux mūdi. Qui sequitur me, non ambulabit in tenebris, sed habebit lucē vitę. Et de qua Psalmista ait: Vt placeā corā deo in lumine viuentiū. & pacis, ad quā iustus Simeō finitis vitæ huius laboribus trāsire cupiebat dicens: Nunc dimittis seruum tuū domine secundum verbū tuum in pace. Et in qua sanctorū martyrū animæ quiescunt, dicēte scriptura: Visi sunt oculis insipientiū
B mori, illi autē sunt in pace. Hanc autē piā & religiosam obseruantiā quā ex apostolica sine dubio trāsitione susceptā, vniuersa in mundo vniformiter & celebriter tenet ecclesia etiā veteris testamenti scriptura & consuetudo à patribus custodita, diligentissimè cōmendat. Legimus nāq; in Macchabæorū libris, ꝙ vir fortissimus & pontifex Iudas duodecim drachmas argēti misit Hierosolymā, offerri pro peccatis mortuorū, qui in bello ceciderāt. Considerās ꝙ hi qui cū pietate dormitionē acceperant, optimā haberent repositā gratiā. Vbi & hoc in laudibus fidei eius adiūgitur, quia sancta & salubri cogitatione ꝓ defunctis exorabat, vt à peccato soluerentur. Sequitur in mysterio. *Nobis quoque pecca-*
C *toribus famulis tuis de multitudine miserationum tuarum sperantibus, partem aliquam & societatem donare digneris cum tuis sanctis apostolis & martyribus*, & cætera vsque vbi dicitur: *& cum omnibus sanctis tuis, intra quorum nos consortium non æstimator meriti, sed veniæ quæsumus largitor admitte per Christum dominum nostrum.* Commendatis spiritibus defunctorū per oblationem pietatis, vt in beatis electorum sedibus mereantur obtinere locum refrigerij lucis & pacis: consequēter oratur omnipotens deus, vt etiam cæteros fideles qui superstites sunt & viuunt, id est sacerdotes & populum per virtutem & gratiam eiusdem venerabilis sacramenti, ad eandem beatitudinē perducat. Totius namq; ecclesiæ vox est, id est sacerdotum & plebium, veraciter confitentium & dicentium deo: Nobis quoque peccatoribus famulis tuis.

Quia

1. Tessa. 4.
Ioan. 8.
Psal. 55.
Luc. 2.
Sap. 3.
2. Mach. 2

Quia licet omni tempore peccatores nos esse ex corde cognoscere debeamus, tunc quàm maximè hoc attentius agendum & confitendum est: cùm in illo sacro mysterio celebratur remissionis gratia indulgentia peccatorum, & cum humilitate & contritione cordis dicēdum deo: nobis quoque peccatoribus famulis tuis. Quia sicut scriptum est: & si peccauerimus tui sumus, scientes magnitudinem tuam. Nō de vllis nostris meritis, sed de multitudine miserationum tuarum sperantibus. Vnde in Psalmo cantamus: Et secundū multitudinem miserationum tuarum dele iniquitatē meā. Recordanda nanque sunt in hoc loco & diligenter inculcanda verba apostoli dicentis: Omnis namque sacerdos ex hominibus assumptus pro hominibus cōstituitur in his quę sunt ad deū, vt offerat dona & sacrificia pro peccatis. Qui condolere possit his qui ignorant & errant: quoniam & ipse circūdatus est infirmitate. Et propterea debet quemadmodum pro populo ita etiam pro se offerre pro peccatis. Ad quod beatus Gregorius in quodā loco exhortans dicit: Sed necesse est vt cùm hæc agim⁹ nosmetipsos deo in cordis cōtritione mactemus. Quia qui passionis dominicę mysteria celebramus, debemus imitari quod agimus. Tunc enim verè pro nobis deo hostia erit, cùm nos ipsos hostiam fecerit. Oratur itaque omnipotens deus, vt non solùm defunctis quorum suprà cōmemoratio facta est, sed etiam nobis peccatoribus de multitudine miserationum suarū sperantibus, partem aliquam & societatem donare dignetur cum suis sanctis apostolis & martyribus & omnibus sanctis. Vt pro modulo nostro, quibus nunc sociamur per communionem fidei, quorum memoriam veneramur, in quorū cōmunione & vnitate hæc diuina mysteria agimus, cum ipsis etiam societatē vitæ & beatitudinis æternæ in futuro accipiamus. Intra quorū consortium, vt nos dei pietas introducat, petimus vt nobis non nostri meriti æstimator, sed veniæ sit largitor. Vt quia sanctorū societati per meritum iungi non possumus, per indulgentiam coniungamur. Si enim merita æstimentur, & diuino iudicio pōderentur, quis ad apostolorum & martyrum societatem assurgat? In fine autem huius rationis sicut & in cæteris præcedentibus, per quem nobis hæc omnia speranda poscenda & obtinenda sint,

Sapien. 15

Psal. 50.

Heb. 5.

Gregorius hom. 22. euange.

D E F

sint,subiungitur:per Christum dominum nostrũ. Et statim
conclusio totius consecrationis sequitur dicendo: *Per quẽ*
A *hæc omnia domine semper bona creas, sanctificas, viuificas, benedi-*
cis & præstas nobis. Per ipsum & cũ ipso & in ipso, est tibi deo patri
omnipotẽti in vnitate spiritus sancti omnis honor & gloria: per om-
nia secula seculorum, Amen. Per ipsum enim omnipotẽs pater,
hæc bona omnia quæ sacris altaribus consecrãtur: non so-
lùm in exordio mundi creauit condẽdo quod nõ erat, quã-
do per eundem vnigenitũ verbum suũ dixit, & factum est.
germinet terra herbã virentẽ & afferentẽ semen: lignũq́ue *Gene. 1.*
pomiferum faciens fructũ. in qua creatione vtiq; & herba
frumenti & lignum vini exortum est: sed etiam semper ea-
dem bona creat propagando & reparãdo. Sicut & in Cana *Ioan. 2.*
Galilææ, vt se ostenderet huius creationis auctorem, signo
B admirabili aquas vertit in vinum. Vt per annos singulos &
nouæ segetes, & noua vina nascantur. De hac namque ope
ratione regendæ propagandæ & reparandæ creaturæ, ipse
vnigenitus filius in euangelio dicit ad Iudæos, indignan-
tes quòd in sabbato curaret: Pater meus vsque modò ope- *Ioan. 5.*
ratur, & ego operor. Tanquam diceret: Non sex tantum
diebus primis vt putatis pater operatus est, sed vsque modò *Beda ad*
operatur. Non nouum creaturæ genus instituendo, sed quę *cap. 5. Ioã.*
in principio creauerat ne deficiant propagando. Et ego in-
quit operor. Subauditur vsque modo. Cũ eo cuncta dispo-
nens, regens, accumulans. In quibus verbis æqualem se deo
C patri manifestissimè prædicauit. Quia quorum est vna ea-
démq; operatio, proculdubio æqualis est & maiestas. Per ip-
sum ergo vt dictum est deus pater hæc omnia bona, quia o-
mnis creatura dei valde bona, semper creat: & creata ac
suis conspectibus oblata sanctificat. Vt quæ erant simplex
creatura, fiant sacramenta. Sicq́ue sanctificando viuificat.
Vt sint mysteria vitæ vt sumatur in eis vita, vt vitalem sub-
stantiam accipientibus subministrent. Sanctificando au-
tem & viuificando, ineffabiliter benedicit: quia ea omnia
benedictione cœlesti & gratia accumulat. Ita verò sancti-
ficata & viuificata & benedicta præstat nobis per eundem
secum pariter sanctificantẽ, viuificantẽ & benedicentẽ, qui
nobis de corpore ac sanguine suo dedit tam salubrẽ refe-
ctionẽ. Manducent ergo qui manducant, & bibant qui bi- *Aug. ser-*

mo. 2. de verbis apostoli. to. 10 bunt. Esuriant & sitiant. Vitam manducent, vitam bibant. Illud manducare refici est. Sed sic reficeris, vt non deficiat vnde reficeris. Illud bibere, quid est nisi viuere? Manduca vitam, bibe vitam. Habebis vitam, & integra est vita. Tunc autem hoc erit, id est vita vnicuique erit corpus & sanguis Christi, si quod in sacramento visibiliter sumitur, in ipsa D

Seuerian⁹ veritate spiritualiter mãducet̃, spiritualiter bibat̃. Per ipsũ ergo & cũ ipso & in ipso est deo patri oĩpotenti in vnitate

1. Tim. 2. spũs sancti, oĩs honor & gloria. Per ipsũ scilicet, tanq̃ verũ mediatorẽ dei & hominũ, hominẽ Christũ Iesũ. Cũ ipso,

Philip. 2. tanq̃ æquali cui secũ vnus honor & gloria debet̃. Quia cũ in forma dei esset, nõ rapinã arbitratus est esse se æqualem

Ioan. 14. deo. In ipso aũt, tãq̃ verè cõsubstãtiali: Sicut ipse ait: Vt glorificet̃ pater in filio. Oĩs verò honor & gloria, est deo patri E ꝑ filiũ & cũ filio & in filio in vnitate spũs sancti. Qui ex patre filioq; procedẽs vnitatẽ deitatis possidet cũ patre & filio, atq; ideo simul adorat̃ & cõglorificat̃. Insinuat̃ itaq; no

August. bis in patre auctoritas, in filio natiuitas, in spũ sãcto patris

Seuerian⁹ filiiq; cõmunitas, in trib⁹ æqualitas. Quid est aũt, ꝙ damus honorẽ & gloriã deo patri per filiũ in vnitate spũsancti, ꝑ oĩa secula seculorũ? Quid est, ꝑ oĩa secula seculorũ nisi ꝙ beat⁹ Iudas apostol⁹ in fine epistolæ suæ velut distincte & designãter exponit, & exponẽdo gñaliter cõcludit dicẽs: Soli deo saluatori ꝑ dñm nr̃m Iesũ Christũ gloria, magnificẽtia, imperiũ & potestas ãte omne seculũ, & nũc & in oĩa secula seculorũ? Cœpit enĩ seculũ. i. tẽporalis mutabilitas, à F cõditiõe creaturæ. Currũt secula præsentia mutabiliũ rerũ cursu labẽtia. Succedũt verò secula futura, incommutabili rerũ statu æternaliter ꝑmanẽtia. Verũ quia hęc oĩa in æterna dei sapientia sine vllo oĩno initio vel mutabilitate fixa

Ioan. 1. sunt: quia vt in euãgelio legim⁹: quod factũ est, in ipso vita erat: bene intelligũtur ita dici secula seculorũ: tanq̃ secula in sapientia dei incõcussa stabilitate manẽtia, istorum quæ cũ tẽpore transeunt efficientia seculorũ. Aut certe simpliciter accipienda sũt secula seculorũ velut cõsequentia præcedẽtiũ. Vt continuata sibi cõnexione copulentur quæ appellantur secula seculorũ, donec totũ præsens seculũ quod ex diuersorum temporũ seculis contexitur, perueniat ad finẽ: & succedat futurũ seculũ quod nõ habet finẽ, vbi de⁹ videbitur

bitur & laudabitur sine fine. Amen autē quod ab omni ecclesia respondetur, interpretatur verum. Non vbicunque & quomodocumque, sed mystica religione. Hoc ergo ad tanti mysterij consummationem, sicut & in omni legitima oratione respondēt fideles: & respondendo subscribunt. Adiungit autem adhuc sacerdos & dicit: *Oremus. Praeceptis salutaribus moniti, & diuina institutione formati, audemus dicere: Pater noster qui es in cœlis, sanctificetur nomen tuum. adueniat regnum tuum. fiat voluntas tua sicut in cœlo & in terra. Panem nostrum quotidianum da nobis hodie, & dimitte nobis debita nostra, sicut & nos dimittimus debitoribus nostris. & ne nos inducas in tentationem: sed libera nos à malo. Amen.* Dignum profectò fuit, vt tota hæc tam sacrosancta actio dominica oratione concluderetur. Et petitiones fidelium, quas vel propter futuram, vel propter præsentem vitam nos dominus docuit, per eandem passionis eius commemorationem efficacius commendarentur. Admonetur ergo tota ecclesia, & dicitur ei à sacerdote: oremus. Et orat ecclesia cum sacerdote: non voce sed corde. Labia clausa sunt, & patet conscientia. Silentium est, & clamat pectus: sed in auribus dei. Ille audit, qui miseretur. Nam & Susanna cùm damnaretur ab iniustis iudicibus, tacebat & orabat. Os eius non audiebatur ab hominibus, cor eius clamabat ad deum. Nunquid quia vox eius ore corporis non processit propterea exaudiri non meruit? Exaudita est illa. Sed quando orauit, nemo hominum sciuit. Orat ergo sacerdos simul cum ecclesia conuersus ad deum, & dicit: Præceptis salutaribus moniti & diuina institutione formati, audemus dicere, Pater noster qui es in cœlis. Hoc enim præceptum nobis est salutare, id est ad salutem nostram proficiens, quo nos vnigenitus filius per lauacrum regenerationis & spiritum adoptionis dei filios effectos dicere monuit, dicere iussit. Et non humana sed diuina sua institutione ipse nobis orandi formam instituit. Et vt deo audeamus dicere pater noster, ipse nos sua iussione monuit: ipse nos sua īstitutione informauit dicēs. Sic ergo vos orabitis: pater noster qui es in cœlis. Hoc itaq; nobis super omnia salutare est, quod nobis tantam gratiam per vnigenitum suū contulit deus pater. Vt tantā bonitatē

Aug. li. 15 cap. 9. contra Faustū to. 6.

Danie. 13.

Matt. 6.

A B C (margin letters)

cogitantes & amantes, sic agamus vt iam non filij seculi sed filij dei simus. Præceptis ergo salutaribus iussi, diuina institutione informati, non præsumptionis temeritate sed obedientiæ pietate: præsumimus dicere deo patri: *Pater noster qui es in cœlis*. Vt fidelis quisq; qui in veteri homine erat filius iræ iam in cœlesti regeneratione patrem inuocet pietate. Credimus verò vbiq; esse deũ per diuinitatis præsentiam, sed non vbiq; per habitationis gratiã. Propter hãc ergo inhabitationẽ vbi gratia dilectionis eius agnoscitur, nõ dicimus pater noster qui es vbiq;, cũ & hoc verũ sit, sed pater noster qui es in cœlis, vt tẽplũ eius poti⁹ in oratione cõmemorem⁹, quod & nos esse debem⁹. Et inquãtũ sumus, in tantũ ad eius societatẽ & adoptionis familiã pertinem⁹. Nec se fili⁹ in hac oratione prętermisit, sed in patris vnitate coniunxit: quia in patre & se orari iussit. Cùm enim patrẽ rogas, filij nomẽ imploras. *Sanctificetur nomen tuum*. Hoc petẽdo admonemur desiderare, vt nomẽ eius quod semper sanctũ est, etiã apud homines sanctum habeatur hoc est nõ contemnatur: quod nõ deo, sed hominibus prodest. *Adueniat regnum tuũ*. Hac petitione desideriũ nostrũ ad illud regnum excitamus: vt nobis veniat, atq; in eo regnare mereamur. *Fiat voluntas tua sicut in cœlo & in terra*. Hac petitione nobis ab illo precamur ipsam obediẽtiã: vt sic in nobis fiat voluntas eius, quemadmodũ fit in cœlestibus, in angelis eius. *Panẽ nostrum quotidianum da nobis hodie*. Per id quod dicimus hodie, significatur hoc tempore: qua petitione vel sufficientiã quotidiani victus petimus, nomine panis totũ significantes: vel sacramentũ fideliũ, quod in hoc tẽpore necessarium est. Non tamen ad huius tẽporis, sed ad illam æternam fœlicitatẽ adsequendã. *Dimitte nobis debita nostra, sicut & nos dimittimus debitoribus nostris*. Hîc admonemur, & quid petamus & quid faciamus, vt accipere mereamur. *Et ne nos inducas in tentationem*. Petimus ne deserti eius adiutorio alicui tentationi vel consentiamus decepti, vel cedamus adflicti. *Sed libera nos à malo*. Hîc admonemur cogitare nondũ nos esse in eo bono, in quo nullũ patiemur malũ. Quæ petitio ita latè patet, vt homo Christian⁹ in qualibet tribulatione cõstitutus, in hoc gemitus edat, in hoc lachrymas fundat, in hoc exordiatur, in hoc immoretur, ad hoc termi-

Aug. lib. 2 de sermone domini in monte Tom. 4.

Seuerian⁹

Augu. lib. 2. de sermone domini in monte.

Aug. Ibid.

D E F

terminet orationem: *Amen.* Signaculum dominicæ orationis, quod interpretatur verè siue fideliter, attestatio est veritatis. Quod ex apostolica traditione etiam ad cæteras orationes consuetè respondet ecclesia. Sicut Apostolus ad Corinthios scribit dicens: Si benedixeris spiritu, quis supplet locum idiotæ? Quomodo dicit amen super tua benedictione, quoniam quidem nescit quid dicas. Ex quo ostẽdit, nõ posse idiotam respondere verum esse quid dicitur, nisi antè intellexerit. Post orationem dominicam, quam ad completionem perfecti mysterij tota ad deum fundit ecclesia. Sequitur in conclusione eiusdem orationis sacerdos & dicit: *Libera nos quæsumus domine ab omnibus malis præteritis præsentibus & futuris.* In quibus verbis mala præterita à quibus liberari petimus, peccata nostra transacta intelligẽda sunt. Quorum etsi actio iam cessauit in nobis, tamen reatus manet, nisi diuina indulgentia deleatur. Vnde admonet scriptura dicens: Fili peccasti ne adiicias iterum, sed & de preteritis deprecare vt tibi dimittantur. Mala verò presentia, quia quotidie peccamus: & quotidie necesse habemus dicere dimitte nobis debita nostra, possunt intelligi & quotidiana peccata nostra in animo, & accidẽtes sæpè diuersi languores & afflictiones in corpore, & extrinsecus irruentes innumeræ calamitates. Vt fames, pestilentia, gladius, & cætera huiusmodi pericula. Quæ omnia quotiensc unq; patimur, eius debemus implorare auxiliũ: qui solus sua pietate & animas curat & corpora. Et nouit quando filiis suis, quos ad æternam hæreditatem præparat, & flagellum correptionis, & dulcedinem consolationis adhibeat. Futura etiam mala quid aliud intelligenda sunt, nisi quæcunque nobis accidere possunt saluti & paci contraria. Siue per tentationes diaboli, siue per aduersitates & miserias seculi. Et maximè illa pro quibus effugiendis precipuè orare debemus. Vt liberemur à ventura ira, à damnatione æterna, quæ sine dubio malis constat esse futura. Orat ergo hæc sacerdos, imò tota cum sacerdote ecclesia: vt quod in fine orationis dominicæ dictum est, sed libera nos à malo: ita nobis per dei misericordiam præstetur, vt liberemur ab omnibus malis. Id est quæ nobis vel in præterito acciderunt, vel in præsenti accidunt, vel in futuro ac-

Margin: A — *Hie. in cõ. ad cap. 6. epi. ad Ga.* — *1. Cor. 14.* — B — *Eccli. 21.* — C

cidere posse formidantur. Vnde & dominus sciens fragilitatem nostram in tantis periculis constitutam, misericorditer admonet dicens: Vigilate & orate, ne intretis in tentationem. Et iterum: Vigilate itaque omni tempore orantes vt digni habeamini fugere ista omnia quæ futura sunt, & stare ante filium hominis. Sequitur sacerdos & dicit: D

Mat. 26.

Et intercedente pro nobis beata & gloriosa semper virgine dei genitrice Maria, & beatis apostolis tuis Petro & Paulo atque Andrea, da propicius pacem in diebus nostris, Vt ope misericordiæ tuæ adiuti, & à peccato simus semper liberi, & ab omni perturbatione securi. Præcepit dominus populo Israëlitico, cùm detineretur in Babylonica seruitute captiuus dicens inter alia per Hieremiam prophetam: & orate pro pace ciuitatis ad quã transmigrare vos feci, quia in pace ipsius erit pax pro vobis. Similiter autem & apostolus populum ecclesiæ exhortatur dicens: Volo igitur primo omnium fieri obsecrationes, orationes, postulationes, gratiarum actiones pro omnibus hominibus, pro regibus & his qui in sublimitate sunt, vt quietam & tranquillam vitam agamus in omni pietate. Iuxta hanc ergo formam & per prophetam & per apostolum diuinitus constitutam populus fidelium in huius seculi peregrinatione tanquam in Babylone captiuus, supernæ patriæ suspirans, orat etiam pro pace temporali, ne impediatur à pace spirituali & æternali. Vt remotis per dei pietatem persecutionibus, seditionibus, hostilitatibus, quietam & tranquillam vitam agat ecclesia in omni pietate. Et hoc orat generali obseruantia, sine intermissione, in omni dominica oblatione, in qua iuxta præceptum apostolicum, obsecrationes suas & orationes & postulationes & gratiarum actiones offert deo. Hoc autem paucissimis sed eminentissimis sanctis nominatis à deo exorat. Videlicet vt intercedente in primis dei genitrice, per quam humano generi salus exorta est, & beatis apostolis Petro & Paulo atque Andrea, impetrare mereatur. In qua postulatione non cæterorum sanctorum intercessio prætermittitur, sed in istorum commemoratione omnium suffragia expetũtur. Quia omnes ita sibi in deo sociati & vniti existunt, ita omnes vnum desiderãt & rogant pro salute hominum: vt & in vno omnes pariter habeantur, & in vno omnes pariter

Hiere. 29 E

1. Tim. 2.

F

riter negligantur. Non enim amant sancti suos electores, Augustin.
A si suorum sociorum eos inuenerint desertores. Magisque offensurus est quisquis ita agendum putat, eos ad quos se contulerit, quàm eos à quibus abstulerit. Vnitate enim gaudent, & in Christo vnum sunt. Quod ergo dicit ecclesia, da propicius pacem in diebus nostris, manifestè iuxta exemplum quod in Esaia legitur, hoc facit. Cùm enim prædixisset idem propheta Ezechiæ regi iusto venturæ captiuitatis mala, compunctus respondit: Bonum verbum domini quod locutus es. Fiat tantum pax & veritas in diebus meis. Esa. 39.
Videlicet, futura humiliter dei iudicio reseruans. De præsenti verò, quod ad suam & populi sui salutē pertinebat deprecans: Fiat, inquit, pax & veritas in diebus meis. Pax, ne Ibidem.
B regni tranquillitas ab hostibus turbaretur. Veritas verò, vt in ipsa pace, dei cultus & religionis veritas seruaretur. Vnde & Apostolus vbi hæc orari præcepit, vtrumque simul posuit: Vt quietam, inquit, & tranquillam vitam agamus, in omni pietate. 1. Timo. 2.
Nam quies & tranquillitas pertinet ad pacem, pietas ad diuini cultus religionem. Ita ergo & ecclesia deprecatur pacem fieri in diebus nostris, quod & post nos alij, & post ipsos alij vsque ad cōsummationē seculi, vtique similiter orabunt. Cur aūt ipsam pacē postulet, subiungit. Videlicet, vt ope, id est auxilio & protectione misericordiæ dei adiuti, quãtum ad interiorem religionis deuotionem pertinet, simus semper à peccato liberi. Quantum verò ad ex-
C teriorem pacem, simus etiam ab omni perturbatione securi. Nam pax in qua non diuinæ religioni sed mūdanæ cupiditati seruitur, non est iustorum, sed iniquorum: de qualibus psalmista ait: Quia zelaui in peccatoribus, pacem peccatorum videns. Psal. 72.
Sequitur, quod & in ista & in omnibus ferè orationibus ecclesiasticis in conclusione subiungi solet:

Per dominum nostrum Iesum Christum filium tuum, qui tecum viuit & regnat deus in vnitate spiritus sancti, per omnia secula seculorum. Quod vtique certa ratione, vt sæpe dictum est, catholica cōcelebrat ecclesia, propter illud vtique sacramentum, quòd mediator dei & hominum factus est homo Christus Iesus sacerdos in æternum, secundum ordinē Melchisedech. Qui per proprium sanguinē semel introiuit in sancta non vtique manu facta, sed in ipsum cœlum, vbi est in Fulgentius 1. Timo. 2. Hebr. 9.

dextera dei,& interpellat pro nobis.Per ipsum ergo hostiã laudis atque orationis offerimus : qui per eius mortem re- D
conciliati sumus,cùm inimici essemus. Christus nanque in forma dei permanens vnigenitus deus,cui cũ patre hostias offerimus, formam serui accipiens sacerdos factus est, per quem hostiam viuam sanctam deo placentem offerre possimus.Nec tamen hostia à nobis offerri potuisset, si Christus pro nobis factus hostia non fuisset.Cùm verò dicimus filium tuum, & adiicimus, qui tecum viuit & regnat deus in vnitate spiritus sancti:illam vtique vnitatem commemoramus,quã naturaliter habet pater & filius & spiritus sanctus. Vbi ostẽditur quòd idem ipse Christus pro nobis sacerdotali est functus officio:cui naturalis est vnitas cum patre & spiritu sancto.Cùm verò in vnitate spiritus sancti dicimus, E
vnam naturam spiritus sancti cum patre filióque monstramus. Vnitas autem naturæ quid aliud quàm trinitatem vnum deum,& ex hoc vnum ostendit & regnum?Vbi autem regni naturalis est vnitas, vna regnandi permanet & potestas.
Seuerian⁹ Viuit ergo & regnat Christus dñs noster,cũ patre in vnitate spiritus sancti,per omnia secula seculorum.Sicut ip-
Apoca.1. se in Apocalypsi loquitur,dicens: Ego sum primus & nouissimus & viuus,& fui mortuus : & ecce sum viuens in secula
Psal.44. seculorũ.Ipsi nanque dicitur in psalmo:Thronus tuus deus seculum seculi.Et iterum:Regnum tuum,regnum omnium
Psal.144 seculorum. De quo & in euangelio ad beatam Mariam an-
Luc.1. gelus dicit:Et regni eius non erit finis. Hac oratione exple F
ta commiscens sacerdos dominicam oblationem, vt calix domini totã plenitudinem contineat sacramenti tanquam per eiusdem mysterij copulationẽ imprecatur ecclesiæ pacem,dicens: *Pax domini sit semper vobiscum.* Cui tantũ bonum etiã ecclesia imprecatur respõdens: *Et cum spiritu tuo.* Quid
Augustin⁹ est autem pax domini, nisi pax Christi? Pax autem Christi finem temporis non habet. Et ipsa est omnis piæ actionis intentionisque perfectio. Propter hanc spiritũ eius pignus accipimus: propter hanc in eum credimus & speramus : & amore ipsius,quãtum donat accendimur. Propter hanc denique omnem tribulationẽ fortiter toleramus: vt in ea fœ-
Seuerian⁹ liciter sine tribulatione regnemus. Vera enim pax, vnitatem facit: quoniam qui adhæret domino vnus spiritus est.

Imprecata

Imprecata igitur pace, incipiens à sacerdote, dat sibi mutuo omnis ecclesia osculum pacis: vt omnibus vera pace
A vnitis, fiat in eis locus dei. sicut dicitur in psalmo: Et factus est in pace locus eius. Et impleatur in ecclesia, quod alibi Psalmista dicit: Deus in loco sancto suo, deus q inhabitare facit vnanimes in domo. Et hoc vtiq; ex traditione apostolorum seruat ecclesia, cui frequéter ab eisdem apostolis dicitur: Salutate inuicem in osculo sancto: id est in osculo vero, osculo pacifico, osculo columbino: non ficto & subdolo, quali vsus est Ioab ad occidendum Amasam, quali Iudas ad tradendum saluatorem: quali vtuntur hi qui loquuntur pacem cum proximo suo, mala autem sunt in cordibus eorum. Illi ergo osculo sancto salutant inuicem, qui non di
B ligunt verbo nec lingua, sed opere & veritate. Inter hæc omnia cantatur ab omnibus, & cantando oratur à dicentibus. *Agnus dei qui tollis peccata mundi, miserere nobis.* Nullus enim tollit peccata mundi, nisi ille de quo dictum est: Ecce agnus dei, ecce qui tollit peccata mundi: cui nullum bonum hominis impossibile, nullum malū est insanabile. Quo modo autem peccata mundi tollat, apostolus Petrus ostendit, qui ait: Non corruptibilibus argento vel auro redempti estis de vana vestra conuersatione paternæ traditionis: sed precioso sanguine quasi agni incontaminati & immaculati Christi. Et in Apocalypsi Ioannes Apostolus: Qui dilexit nos, inqt, & lauit nos à peccatis nostris in sanguine suo.
C Non solùm autem lauit nos à peccatis nostris in sanguine suo, quando sanguinem suum dedit pro nobis in cruce, vel quando quisque nostrum in mysterium sacrosanctæ passionis illius baptismi aquis ablutus est: verumetiam quotidie tollit peccata mundi, lauátque nos à peccatis nostris quotidianis in sanguine suo, cùm eiusdem beatæ passionis ad altare memoria replicatur. Post hæc ergo sumpta eucharistia, id est bona gratia (gratia enim dei pro omnibus gustauit mortem) & celebrata gratiarum actione, respondetur ab omnibus Amen. Hæc est enim clara vox sanguinis Christi, quam sanguis ipse exprimit ex ore fidelium eodem sanguine redemptorum. Finitis verò omnibus, adstanti & obseruanti populo absolutio datur, inclamāte diacono: *Ite missa est.* Missa ergo nihil aliud intelligitur, quàm dimissio,

Psal. 75. Psal. 67. Rom. 16. 1. Cor. 16. 1. Thes. 5. 1. Pet. 5. Vigilius. 2. Reg. 20 Matt. 26. Psal. 2. Augustin. Vigilius. 1. Pet. 1. Apoc. 1. Hebræ. 2. Augustin. Seuerian. Augustin.

Isido.c.19 li.6.etym. Seuerian⁹ Ca.84.cō ci.Cartha. quarti.

dimissio, id est absolutio. Quā celebratis omnibus tunc dia conus esse pronunciat: cùm populus à solenni obseruatione dimittitur. Vnde & missam catechumenorum canones dicunt, quando post euangelij lectionem incipiunt celebrari sacra mysteria, quibus nullum nisi baptismi fonte regeneratum interesse licet. Tunc enim clamante diacono, iidem catechumeni mittebātur, id est dimittebantur foras. Missa ergo catechumenorum fiebat ante actionē sacramentorum. Missa fidelium fit post consecrationem & participationem eorundem sacramentorum. Amen. D

LIBELLVS METRICE compositus à D. Hildeberto Cenomanensi episcopo, de concordia ueteris ac noui sacrificii.

A

Jo. Garet. in libello precib. pro mortuis a... hunc fuisse Archiepis. Turonensē, et vixisse anno Dnī. 1104.



Cribere proposui, quæ mystica sacra priorum
Missa repræsentet, quídve minister agat.

B

Pro multis vna pro quotidie repetitis Heb. 7. d.
Est oblata semel hostia vera deus.
Inuolucrum legis Christus patefecit, ouémque Ibidē. 9. c.
Significatiuam vera remouit ouis. Ibidē. 7. d
Presbyter hanc offert, & in hac cessare figuras
Rémque figurarum testificatur agi.
Sic etenim templi, sic & crucis exprimit aram,
Vt sacra commemoret illius, huius agat.
Ergo quid in missa vel agatur, vel memoretur,
Quæ quibus assimiles sub breuitate canam.

De officio missæ vel introitu.

C

Turba prophetarum venturi nuncia Christi
Mysterium fertur præcinuisse crucis.
Hunc desideriis, hunc laudibus, hunc prece multa
Præsuspirauit, extulit, expetiit.
Hæc tua commemorat, similique sub ordine ponit
Introitus missæ, quem chorus ante canit.
Ante recensentur suspiria, postea laudes:
Inde preces, in quo quæque notentur habes.
Exprimit officium suspiria, gloria laudes,
Kyrie eleyson ter triplicata, preces.

De aduentu sacerdotis ad altare.

Interea veniens in sacra veste sacerdos,
Altaris dextram dona daturus adit.

Illius

G l.4.a Illius aduentus quibus ó Iudæa reuisit,
Textuus Emmanuel tempora plena notat.
Secreta siquidem procedit ab æde minister, D
Ortus secreto venit ad ima deus.
Vestibus ille sacris tegitur, texit caro verbum,
Tota carens macula, tota sacrata deo.
Ille stat à dextris qua quæsiit actor inanes
Execrata deos gens quasi dextra fuit.

Gloria in excelsis.

Lu.2.b Angelicum post hæc sacrifex pater incipit hymnum.
Inceptum complet vociferando chorus.
Incipiens memorat quæ saluatoris in ortu,
Gaudia pastores angelus edocuit.
Cantica quæ post hæc superi cecinere recenset. E
Gloria quam complet vociferando chorus.

De oratione.

Mat.6.a Hinc oraturus alios hortatur vt orent.
Discipulos Christus iussit, & egit idem.
Nam turbas in monte docens orauit, & ipsis
Orandi formam fratribus instituit.

De epistola.

Luc. 10.a Lectio quæ sequitur doctrinam sinat eorum,
Ibid.c Qui sunt præmissi septuaginta duo.
Illorum monitis dum responsoria cantat,
Edocet assensum se tribuisse chorus.
Act.2.b Alleluia sequens memorat quæ gloria mentis, F
& seq. Quàm pia laus oris sit comitata fidem.

De euangelio.

Inde sinistrorsum domini sacra verba leguntur.
Plebs baculos ponit, stat, retegitque caput.
Mat.13.a Neue superueniens zizania seminet hostis,
Frontibus imprimitur mystica forma crucis.
Acto.13.f Reiicente fidem Iudæa, gratia Christi
Transiit ad gentes, Israël errat adhuc.
Transitus is quotiens euangelium recitatur,
Mentibus occurrit, exprimiturque loco.
Ad læuam legitur, quia quo transiuit aberrans,
Et velut à læua gens idolatra fuit.
Vt sis attentus, patiens, erectus in hostem,

Et caput,

Et caput,& baculus,& ſtatus ipſe docet.
A Quippe caput retegens attentè audire moneris.
Parcere cum baculum reiicis,inſtrueris.
Stans diſcis quoniam ſtantes pugnare ſolemus. 1.Pe.5.c
Quod te pugna grauis ſub vigili hoſte manet.

De ſymbolo.

Succinit ecce chorus fidei compendia noſtræ,
Aſſenſum verbo ſe tribuiſſe docens.
Hinc etenim monſtrat quantum profecerit,in quem
Crediderit,quis ſit,quæ ve datura fides.
Ordo bonus,quoniam quò rex vocat atque magiſter,
Reſpondet miles,diſcipuluſque,ſequor.
Quamque notam paſtor nouit propriamque fatetur, Io.10.a
B Hac ſe ſignatam teſtificatur ouis.
Quæque probant opifex & ſignifer & caput,iſdem,
His opus,his proceres,his ſua membra fauent.

De offertorio.

Sic confeſſa fidem pia plebs orare monetur,
Vt ſit in hac ſtabilis & ſuper aptet opus.
Affectum ſpondet chorus offertoria cantans:
Tanquam ſi dicat,credo,fatebor,agam.
Hinc eſt quòd poſt hæc offert ſacranda miniſter.
Dona dehinc populus,quod ſibi lege licet.
Ordo decens,euangelium præcedere cernis,
Pone fidem pandi,dona deinde dari.
C Audis vt credas,& credis vt hoſtia fias.
Taliter incipimus eſſe,ſumuſque dei.
Præterea donis quæ plebs deuotior offert,
Dona domus Iudæ commemorare licet.
Cum Salomon templum. Salomon altare ſacraret, 2. Par.4.
Oblata à populo victima multa fuit. & 5.
Exemplo Iudæa tuo plebs vſa fidelis.
Altari dat ſe,dat ſua,tu neutrum.

De oblatione.

Non ſine myſterio,ſine re,vel panis ad aram,
Vel vinum fertur,cui ſuperaddis aquam.
Vtraque danda deo præſignauere figuræ,
Traditio docuit,ſanctior vſus habet.
Vtraque ſub typico ritu formaque futuri Gen.14.d

Melchiſe-

Melchisedech domino sacrificasse ferunt.
Mat.26.c Vtraque discipulis cœnantibus ipse redemptor
Mar.14.c Tradidit in corpus vtraque versa suum.
Luc.22 b Visus & ipse placet quòd sic mactatur in imis, D
Vt sit in excelsis inuiolata caro.
Admixtum laticem vino miraris, idipsum
Grande sacramentum est, nec ratione vacat.
Vnda fluens, homo præteriens, ea mixta lyæo:
Est Christo Christi sanguine iunctus homo.
Diuidit vnitos vel aquam vel vina ministros,
Et caput à membris separat ipse suis.
Præterea nil fons sine sanguine, nil sine fonte
Sanguis. vterque simul saluat, vtrumque sacres.
Io.19.f Cum rimaretur pendentis viscera Christi E
Lancea, manauit sanguis & vnda simul.
Sicut vtrumque simul fluxit, simul offer vtrumque.
Vnum deme, crucis non imitaris opus.

De secreta.

Mat.26.d His ita premissis secreto presbyter orat,
Mar.14.d Secretas memorans assimilansque preces.
Luc.22.d Quas egit Christus cum iam te Iuda remoto.
Abscessit modicum, terque precatus ait.

Pater si fieri potest, transeat &c.

His precibus veluti labiorum victima quædam
Leui.16.a Est oblata, typum legis & ipsa gerens.
& seq. Pro se, pro populo, pro principibusque sacerdos
Supremus domino mystica dona dedit. F
Nam sua, nam populi, nam pontificum malefacta
Portarent aries, & caper, & vitulus.
Pontificum vitulus, populi mala pertulit hircus.
Ipsius excessum dux gregis ille luit.
Hæc tria saluator triplici prece commemorauit
Iam tunc pro nobis omnibus vnus agens.
Luc.22.d Nam ter humi strato contritio cordis, & ille
Sanguineus sudor crux fuit ante crucem.
Iam tunc anxietas finem spondentibus vmbris,
Et veteri ritu gratior vna fuit.

De præfatione.

His actis populum sublimi voce salutans

Presby-

Presbyter,& sursum corda leuare monet.
A Inde patri grates per Christum semper agendas
Asserit,& post hæc dona sacranda sacrat.
Si bene cuncta notes,hoc totum filius egit,
A prece discipulos inde petendo crucem:
Primum iussit eos vigilare statimque precari, *Mat.26.d*
Post dormire,dehinc agnus & ara fuit: *Mar.14.d*
Nimirum dum dicit eis: vigilate,salutat, *Luc.22.d*
Quippe salus animæ si vigilemus adest.
Dum iubet orari sursum cor habere suadet,
Orari siquidem sola superna iubet.
Tum tandem vocat ad requiem,monet edere grates.
Mentis enim requie gratificamur ei.
B Nam grates agere est domino nos reddere gratos,
Quod facit à vitiis mens,manus,osque vacans.
Vt talis fiat quisquis sub iudice Christo
Sacrificat,sub quo iustus & ipse venit.
Cum superum cantu quos aræ constat adesse,
Admitti proprias postulat ille preces.
Postulat vt sua vox laudi concordet eorum,
Quos astare sacris pagina multa docet.
Si verbis hominis quem nectar vbique supernum
Eructasse liquet,vis adhibere fidem.
Tempore quo supplex assistit presbyter aris,
Mactaturque patri filius ipse manens,
C Aethra patent,cælestis adest chorus,vna supernis
Iunguntur,fiunt auctor & auctus idem.
Cœtibus his dum mens,dum vox,dum vita ministri
Concordant,grates indubitanter agit.

Sanctus,sanctus,sanctus.

Hinc bene cum populo ter sanctus,quæque sequuntur,
Antea quàm sacret mystica dona,canit.
Credimus has laudes assumptas ex Isaia. *Isa.6.a*
In quibus innuitur trinus & vnus apex.
Ter positum sanctus trinum notat esse,sed vnum
Acclamat dominus atque deus sabaoth.
His tribus huic vni sacrifex litat,angelus offert,
Ascribit clerus,plebs veneratur idem.
Et quia percipiunt in sacro munere quiddam,

Pro sacro dominum munere glorificant.
Laudibus his venerantur eum quibus æthra resultant, D
Quas duo de Seraphin nocte dieque canunt.
Has pro perceptis quasi grates ritè repensant.
Nequando frustra percipienda putent.
Hactenus explicui quid repręsentet in ipso
Officio missę, quidue minister agat.
Ex quibus hoc totum quod in æde priore iubetur
Offerri, coram commemorare licet.
Quicquid enim fit in ecclesia tantummodo præsit
Leuit. 9. a Moribus aut fidei, victima grata deo est.
& seq. Offerimus vitulum linguæ mactamus est hircum.
† 1. arietē. Soluimus in cineres thus, ouiumque virum, †
Dum canimus, vel dum legimus quod praua refręnet, E
Quod populum, quod nos ad meliora vocet.
Tunc etiam vitulus, tunc sacrificatur & hircus,
Cum fastum calcas, luxuriamque premis.
Leuit. 5. d Agnus ab innocuis, à simplicibusque columba,
Turtur ab his qui flent pręmia summa procul.
In clibano coctos panes altaribus offers:
Si robur mentis nulla flagella mouent.
Conspersos oleo si vis pietas moderetur,
Inque reos infra quàm liceat, libeat.
Non fermentatos si mens tibi purior assit.
Excoquat & carnis fluxa supernus amor.
Offers & similam si quos diuiserat error, F
Colligis, inque fidem iungis, idemque facis.
Hos catechizans mollis, in baptismate mergens,
Vnis informans aspera ferre coquis.
Sic eadem moresque docent, Christumque figurant.
Sic geminos vsus cætera legis habent.
Quod vero missę superest ita sacra recenset.
Legis, vt exhibeat sub cruce sacra crucis.
Quippe recensetur quicquid lex præco futuri
Intra sanctorum sancta iubebat agi.
Hoc aperire labor quia metro nominibusque
Ignaris metri materiaque premor.
Da lector veniam rem tantam pandere & vsum,
Non speciem nostris versibus esse sat est.

Non ta-

Non tamen expectes, vt ſingula verba vel actus
Quoſlibet aggrediar notificare tibi.
A Ad ſummam rerum curret ſtylus, & quibus vmbram
Legis, opuſque crucis exprimat ara canam.
Et ſemel & ſoli ſanctorum ſancta patebant Levi. 16. c
Pontifici, precibus plebe vacante foris. Heb. 9. b
Angulus is velo diſtabat ab æde priori
Aduentu ſuperum colloquioque ſacer.
Idem thuribulo ſimul & thymiamatis ara.
Et teſtamenti fœdere clarus erat.
Clarus & inſigni tabula quæ præminet arcæ,
Quam ſuper obnubit pronus vterque Cherub.
Summus eo præſul ſemel accedebat in anno
Pro ſe pro populo myſtica dona ferens,
B Scilicet illius hirci vitulique cruorem,
Quos proles Aaron immolat ante fores.
Carboneſque ſimul quos deſuper exteriorem
Sumendos aram pagina ſacra docet.
Hos in thuribulo ponit, tantumque ſacerdos
Thus cremat, vt fumus vber obumbret eam.
Aſpergit tabulam poſt hęc, aſpergit & aram,
Interiuſque ſacrum ſanguine pacifico.
Hinc redit ad populum, veſtes lauat attamen idem,
Non niſi ſub ſero veſpere mundus abit.
Hic locus, hic ſacrifex ea munera ſigna fuère,
Signa receſſerunt, ſignificata manent.
C Exprimit eccleſiam prior ædes, altera cœlum,
Antiſtes Chriſtum, ſanguis amara crucis.
Carbones ſummam virtutum Chriſte tuarum,
Thuribulum carnem, thura cremata preces.
Summa tabella patrem, cœleſtes ara cohortes
Veſte notatus homo, veſpere mors hominis.
Hæc perſtricta tibi rerum velamina pandunt.
His ea, ſed veluti ſemirecta vides.
Ex his non aliter fit res tibi peruia, quàm ſi
E foribus ſpectes interiora domus.
Interiora ſacri te Chriſte docente patebunt,
Cuius morte patent interiora poli.
Quas igitur partes perſtringere nitor, eaſdem

f 4 Sicut

Sicut habet series canonis, apposui.
Sic leuius disces quod opus, quæ verba ministri,
Quid reminiscantur legis, agântve crucis. D

Te igitur clementissime pater, &c.

Intrabat præsul, vitulorum sanguine sacrum,
Intrauit proprium Christus & ipse polum.
Intrat agens sacrifex in sanguine semper ad aram,
Effusi semper sanguinis ipse memor.
Nam quotiens fusum verbo, cruce, mente retractat,
Hunc specie totiens in sacrosancta gerit.
Quippe velut quidam cruor est meminisse cruoris,
Cuius nos memores crux iterata facit.
Mentio mortis adest vbicumque perennibus escis
Imprimit vncta manus mystica signa crucis. E
Sic Aaron Christumque sequens altare frequentat,
Presbyter hunc haustum sanguinis ipse gerit.
In primo siquidem versu vexilla salutis
Ter super appositas prærogat ille dapes.
In quo iam mortis mitisque piusque recordans
Appellat triplici nomine munus idem.
Hæc dona Dona vocat, quoniam deus has donauit vt inde
Sustentaretur lege modoque caro.
Hæc munera Dona vocat primum, mox munera nuncupat escas:
Pôstque sacrificij nomine censet eas.
Hæc sancta sacrificia. Munera sunt, quoniam deus his donatur, & inde
Munerat auctorem cui dedit auctor eas. F
Nam quod sacrifici censentur nomine monstrat,
Qua ratione prius munera dicat eas.
Scilicet idcirco quia sacrificantur, & aptè
Munerat auctorem qui data reddit ei.
Sic eadem quæ dona vocat, cum sacrificantur,
Munera sunt, quoniam munerat inde deum.
His quoque nominibus pulchrè satis hostia triplex
Innuitur scripto iam recitata meo.
Hoc etenim totum quod spondebatur in illis
Completum memorant, sub specieque gerunt.
Leuit. 4. a Nam quod sperauit prius in veruece sacerdos,
In capro populus, in vituloque duces.
Crux dedit, esca sapit, totum canit esca tributum,

Nomini-

Nominibus ternis hæc tria ſacra notans.

Imprimis quæ tibi offerimus pro eccleſia tua &c.

A Ingrediens ſacra ſanctorum leuiticus orat *Le.16.c*
Pro ſe,proque ſuo principe,gente,domo. *Heb.9.d*
Ante crucem Chriſtus rogat & ſe clarificari *Io.17.a*
Et cuſtodiri,quod dedit ipſe deus. *&ſeq.*
In cœlis etiam ſemper pro plebe ſacerdos, *Heb. 4.d*
Pro ſeruo dominus,pro grege paſtor agit.
Noſter in hoc ſacrifex Aaron Chriſtumque ſequutus
Pro tota primum ſupplicat eccleſia.
Hinc etiam pro pontificis regiſque ſalute,
Pro reliquis infra ſicut oportet agens.

Communicantes & memoriam &c.

B Lege iubebatur ſumptos altaris ab igne *Leu.16.c*
Carbones viuos in ſacroſancta geri.
Lege iubebatur Aaron feſtiuus eiſdem
Thuribulo poſitis thus adolere deo.
Thuribulum carnis tanquam carbone refertum
Virtutum cumulo Chriſtus ad aſtra tulit.
Has ex igne deo quo mentis fluxa cremantur,
Quo lapſæ carnis lubrica ſenſit homo.
Ttanquam carbones intra ſacroſancta ſacerdos
Nomina ſanctorum commemorando gerit.
Hos etenim viuis carbonibus aſſimilamus
Qui ſplendent actu,iuris amore calent.
C Denique ſi ſequitur quod lex iubet,vmbra figurat,
Dum litat hunc ignem mente miniſter habet.
Ingrediens etenim ſanctorum ſancta ſacerdos *Leui.16.a*
Pectore geſtabat nomina ſancta patrum,
Scilicet inſinuans exempla fidemque priorum
His imitanda,quibus myſtica menſa patet.
Nec ſatis eſſe deo verbis meminiſſe bonorum,
Si non exhibeas moribus ipſe bonos,
Sic ſacrifex intuſque calens extraque coruſcans
Carbones carbo factus & ipſe gerit.
Sic bene contexit multorum nomina patrum:
Si meritis multos exprimit ipſe patres.

Hanc igitur oblationem ſeruitutis noſtræ,&c.

Hac nebula fumi tegitur Leuiticus orans, *Leui. 16.c*

Vt pateat nulli dum thymiama cremat.
Luc. 22.d Hac prece pro nobis, hac sedulitate precatur
Christus, vt angelicum transeat intuitum. D
Nescitur quantum sumptæ præsentia carnis
Possit apud patrem, quid sine voce preces.
His precibus cedit quicquid Leuiticus offert.
Et quocumque modo, tempore, fine, gradu.
His precibus patrem dedíscere iudicis iras
Et flecti constat, & meminisse patris.
Tanquàm sub nebula sacra dona frequentat & offert,
Quisquis agit Christi Christus & ipse vices.
Hæc etenim virtus, hæc efficientia verbi,
Et crucis est vt mens linguaque cedat eis.
Nescit homo, latet & superos quò prouehat escas E
Gatia verborum mysteriumque crucis.
Incipit his precibus supplex instare sacerdos
Quæ salua specie munus vtrumque nouant.
Incipit ex toto contritus corde cremansque
Thuribulo mentis lucida thura precum.

Quæsumus domine vt placatus accipias.

Orat vt accipiat placatus dona, suaque
Ordinet in pace tempora nostra deus.
Orat vt eripiat de massa perditionis,
Inter & electos nos numerare velit.
Quã oblationem. Orat vt hic idem benedicat quas dedit escas,
Orat vt ascriptas atque ratas faciat. F
Orat vt hoc altaris opus ratione geratur,
Sitque quod acceptet, quod probet ipse deus.
Benedictã Dum rogat, vt dominus quæ condidit hæc benedicat,
Vt nouet in melius, promoueatque rogat.
Ascriptã. Dum rogat ascribi quod eam sibi præroget escam.
Atque dicet propriam sanctificando roget.
Ratam. Dum rogat esse ratam, ne frustra speret in illa.
Sed sit quod prosit, sit rata, vota rogat.
Rationabilem. Dum rogat hanc ratione geri: quæ munera rectè
Offert, vt rectè diuidat, ipse rogat.
Istius ergo dapis benedictio, gratia maior.
Vberior fructus, perpetuansque vigor,
Hoc sanè totum verbis confertur in illis,

Quæ

Quæ ſubdit ſacrifex non ſua,ſed domini.
A Quippe recenſurus quæ protulit ipſe vel egit, *Matth.26.*
Cum cœnans idem,cœna beata fuit.

Qui pridie quàm pateretur.

Præmittit dicens:qui pridie quàm pateretur, *Mat. 26.c*
Accepit panem quem benedixit idem. *Mar. 14.c*
Panis in hoc verbo ſed adhuc communis ab ara, *Luc.22.b*
Sumitur,ac ſumptum tollit vtraque manu.
Presbyter huic idem cum peruenit,ac benedixit,
Imprimit elato myſtica ſigna crucis.
Nec prius in menſa demittit,quam tua Chriſte,
Verba repræſentans explicat iſta ſuper.
Hinc leuat & calicem ſignatque,nec ante reponit
B Quàm ſuper auctoris verba retractet ita.
Si qua fides patribus,quos vita beata perennat
Eſca fit hic animæ,quæ modo carnis erat. *Accipite & bibite.*
His verbis vtrumque nouas acquirere vires,
Maioreſque ſuis ſcripta probata docent.
Sub cruce ſub verbo natura nouatur,& aram
Panis honorificat carne,cruore calix.
Presbyter icc irco cum verba venitur ad illa,
In quibus altari gratia tanta datur,
Tollit vtrumque notans,quod ſit communibus eſcis
Altior,& quiddam maius vterque gerat.
Quæque parens animæ carnis fomenta parauit
C Omnia ſacratis inferiora cibis.
Et quoniam quotiens libauerit iſta ſacerdos,
Chriſtus eum memorem præcipit eſſe ſui.
Hoc ſacramento nos commemorare fatemur *Hæc quotienſcũq;. Vnde & memores. Mat.28. Mar.16.*
Quod mortem tulerit omnicreator homo.
Quod ſurgens cœlos aſcenderit,hæc tria ſiue
Qualem ſacrificem vult cibus ille,notant.
Scilicet vt carni moriatur,mente reſurgat,
Terquinis gradibus templa ſuperna petat.
Sic memores paſſi ſurgentis,ad aſtra meantis,
Et nos & pariter plebs tua magne deus.
De donis propriiſque datis tibi munera pura, *Offerimus præclaræ maieſtati tuæ &c.*
Munera ſancta,ſed & immaculata damus.
Dona quidem nobis domino data,nam quòd in eſcam

f iij Donat,

Donat, nos ipsi sanctificando damus.
Pura damus, quoniam non his admixta vetustas D
Aut ad saluandum nos, ope legis egent.
Sancta damus, quia qui sanctas diiudicat escas,
Proficit, & libans sanctificatur eis.
Immaculata damus, quia quòd fuit immaculata
Hostia, quodque dedit, nostra sit, & dat idem.

Supra quæ propitio ac sereno vultu.

Presbyter insistens implorat, vt illa serenus
Respiciat, clemens approbet illa deus.
Munera pueri tui iusti. Nec minus hæc placeant, quam quod puer, obtulit Abel,
Quàm quod Abram, quàm quod rex sacrifexque Salē.
His tribus innuitur variorum forma sacrorum,
Gene. 4.a Quæ ratio, quæ lex, quæ sacra cœna dedit. E
Gen. 14.c Lex naturalis, lex tradita, lex breuiata
Placauere deum munere quæque suo:
Et tamen impariter, quia speque fideque supremæ,
Dicitur in reliquis plena fuisse salus.
Hæc sibi sufficiens, nec eget perfecta futuris,
Nec de præteritis vnde iuuetur, habet.

Supplices te rogamus omnipotens deus, iube hæc ferri.

Leuit. 4.b Aspergi tabulam lex vmbra iubebat & aram,
Exteriusque sacrum sanguine pacifico.
Filius asseritur totiens aspergere patrem,
Asperso quotiens sanguine placat eum.
Aspergit semper superos, quia semper eorum F
Asperso reparat, restituitque gregem.
Aspergit semper homines, quia semper & ipsos
Asperso reuocat, conciliatque patri.
Hoc astans aris aspergit & ipse sacerdos,
Cum memor aspersi sanguinis vnit eos.
Vnit eos placando deum, supplendo ruinam
Spirituum, vitam restituendo piis.
Vita deus moriens hoc totum præstitit orbi,
Hoc per eum mortis mentio præstat adhuc.
Tunc igitur sacrifex aspergit sanguine patrem,
Cum semel aspersi mentio placat eum.
Tunc idem cœtus aspergit cœlicolarum,
Cum semel aspersi mentio supplet eos.

Tunc

Tunc aſpergit & hos quos abluit vnda ſalutis:
A Cum ſemel aſperſi mentio purgat eos.
Presbyter hoc ſatagens ſumpta ſibi ſupplice forma
In ſublime geri myſtica dona rogat.
Addit & erectus vt participatio menſæ
Quotquot eam ſumunt proſit & intus alat.

Memento etiam domine famulorum, &c.

Néve ſepultorum pia mentio prætereatur,
Et bene defunctis,& ſibi poſcit idem.
Poſcit idem ſibi dum ſanctis rogat aſſociari,
Quos & nominibus nominat ipſe ſuis.
Angelus is cuius manibus ſacer ille miniſter
In ſublime geri munus vtrumq; rogat.
B Angelus eſt eius vel quos reuerenda vetuſtas
Deſurſum miſſos dicit adeſſe ſacris.
Ara ſuperna dei conſpectus eò ſacra ferri,
Eſt etiam meritis ſacra placere deo.
Angelicas ea ferre manus,eſt plaudere noſtro
Affectu ſuperos myſteriiſque ſacris,
Quæ tam ſecreto plauſu perlata feruntur
In ſublime placent,pacificántque deum.
Ergo prius ſacrifex aſpergit ſanguine patrem,
Cum ſic aſperſi mentio placat eum,
Cum viuis veniam refrigeriúmque ſepultis
Impetrat & partem quam petit ipſe ſibi.
C Et ſuperos & mortales aſpergere fertur.
Nam quæ nos purgat mentio ſupplet eos.
Porro cum ſacrifex ſublimem nominat aram
Quo ſupplex orat dona ſacrata geri,
Commemorat liquido velaminis interiora, Leui.16.d
Quæ ſemel intrabat pontificalis apex:
Cum ſacra perferri ſurſum rogat innuit hircum, e.
Quem lex deſerti vaſta ſubire iubet.
Quippe duos foribus templi lex applicat hircos a.b.
Vnum deſerto deſtinat,alter obit.
Chriſtus diuerſis reſpectibus hircus vterque,
Nam tulit in ligno,viuit in arce poli.
Viuit & hic humilis deſerto regnat in illo
Quo propriis humeris ipſe reuexit ouem. Luc.15.a.

Sic meminit legis, meminit crucis ipse sacerdos
In sublime vehi munus vtrumque petens. D

Nobis quoque peccatoribus famulis tuis, &c.

Exo. 39. b Isdem dum memorat sanctos humerale recenset,
Quod bissena patrum nomina scripta gerit.
† rõnale. Pectus enim logion, † scapulas humerale tegebat
Præsulis intrantis interiora sacri.
Hic in vtroque ferens gemmis insculpta priorum
Nomina venturi præco typusque fuit
Nos etenim gerimus logion cum nomina patrum
Circa principium canonis exprimimus.
Nos humeralis onus gerimus cum nomina patrum
Hac in parte sacri canonis inserimus.
Tunc etiam logion, tunc fert humerale minister E
Cum mores patrum cum labor ipse placet.

Per quem hæc omnia domine semper bona creas, &c.

Ecce subinfertur, quòd tu bone conditor orbis
Per Christum semper hæc bona cuncta creas.
Sanctificas & viuificas, idem benedicis
Glorificans primæ conditionis opus.
Nam quia sic homini verbum deus hæret, vt vna
Sit persona creans atque creatus homo.
Ioan. 1. a. Quicquid per verbum deus ordinat aut operatur,
Per Christum fieri dicitur illud idem.
Ergo per Christum rerum natura nouatur,
Communisque cibus fit speciale bonum. F
Per Christum quoque sanctificat deus vnus vtrumque,
Viuificat pariter & benedicit idem?
Sanctificat quoniam datur hæc quoque gratia rebus,
Vt bene percipiens sanctificetur eis.
Viuificat quoniam datur hæc vegetatio rebus,
Vt moriens vitiis viuificetur eis
Hic idem benedicit eas, quia prouenit inde,
Vt benedicatur qui bene sumit eas.
Per ipsum Est honor, est etiam per Christum gloria patri
Per quem cuncta pater glorificanda facit.
Et cũ ipso Est & cum Christo quia glorificatur & ipse
Cum quo cuncta pater glorificanda facit.
Et in ipso Est simul in Christo, quoniam deus vnus vterque

Et quod

Et quod in hoc vno est, est in vtroque simul.

Oremus, Præceptis salutaribus moniti, &c.

A Ad populum regredi, vestésque lauare supremum Leui.16.e
Pontificem legis mystica iussa volunt.
Ipse tamen mundus eadem sic iussa cauebant,
Non nisi cum iam sol occubuisset, erat.
Ecclesiæ Christus quam non abeundo reliquit
Subueniens ad eam compatiendo redit.
Hinc eius vestes in viuis abluit vndis
Fons qui perpetuo vulnera nostra lauat.
Fons, tamen illa lauans donec famulabitur orbi.
Sol velut immundus atque lauandus erit.
Eius enim membris dum sol agit iste labores,
B Hærebunt maculæ, quodque lauetur erit.
Dicitur ad populum tanquàm remeare sacerdos
Pro populo rursum multiplicando preces.
Namque velut foris est cum vocem mutat & orans
Admonet vt pariter oret & ipse chorus. Matt. 6.b
Admonet orandi formam sublime retractans Luc.11. a.
Quam statuit Christus edocuitque suos.

Pater noster qui es in cælis, &c.

Talibus officiis interuentuque sacrorum Leui.16.e
Et simul intinctu sanctificantis aquæ.
Ipse lauans populum sua vestimenta lauare
Fertur & apta deo reddere fonte precum.
C Est tamen immundus donec sol occidat idem:
Nam dum viuit habet quod lauet omnis homo.
Sic sacrifex remeans vt dignus percipiendis
Fiat, & ad vitam sumat vtrumque simul.
Iam quasi cum populo septem sibi dona precatur Mat. 6. b.
Quæ voluit Christus instituitque peti. Luc.11. a.
Illorum tria prima quidem sine fine manebunt:
Sed reliquis finem spondet amara dies.
Semper enim sanctum nomen patris idque beato Sanctifice
Quod metuat, quod amet, quod vereatur, erit. tur nomen
Semper & ipse bonus regnum patris, vnde profecto tuum.
Scandala cuncta procul, quodque resistat, erit. Adueniat
Semper vt in cœlo sic in tellure voluntas regnū tu
Fiet, & in neutro quod reprobetur, erit. Fiat volu-

Fit

tas tua, &c. Fit vero pariter in vtroque paterna voluntas.
Cum quod amat quod vult angelus hoc & homo. D
Præterea sicut quidam sensere priorum]
Ter ra caro, cœlum spiritus accipitur,
Consummatur in his pariter diuina voluntas
Cum caro subiicitur, spirituique fauet.
Hæc tria nunc iusto variis euentibus adsunt,
Post finem mundi nescia finis erunt.
Panē nostrum. Quatuor esse sinent: nam pasci nullus egebit,
Cuíve remittantur debita nullus erit.
Et dimitte nobis. Tentari nemo poterit, mala nulla deinceps
A quibus electos liberet auctor, erunt.
Et ne nos. Nam verbum vitæ panem puto quotidianum.
Sed libera Siue sacramentum quo viget intus homo. E
Tunc neque doctrina nec ea dape iustus egebit,
Qui sciet omne bonum cui deus ipse cibus.

Libera nos quæsumus domine ab omnibus malis, &c.

Et quia præteriti meminit, præsente grauatur,
Venturum metuit presbyter ipse malum.
Vt prece sanctorum deus illum liberet, vtque
Pax data tranquillet tempora nostra, rogat.
Officit ecclesiæ cum perturbatio feruet.
Pax in spem fructus semina iacta fouet.
Hinc sequitur panis infractio tradita nobis
A domino quiddam legis & ipsa gerens.
Leui. 2. b. Legis præcepto minui similago iubetur, F
Non nisi frustatim sacrificanda deo.
Sic sacrum panem cœnans fregisse redemptor
Dicitur, & fractum distribuisse suis.
Nos quoque non frustra legem Christumq́ue sequentes
Aptè partimur dona dicata deo.
Nam tres ecclesiæ sunt partes, vna laborat
In terris, partem iam fouet alta quies.
Partem quæ restat clementior excoquit ignis,
Excoctæq́ue patet transitus ad requiem.
Diuersas meritis diuersas sorte locorum
Tres istas partes hostia fracta notat.
Pars intincta mero viuis aptatur, opusque
Sanguinis & carnis expiat ipsa caro.

Pro

Pro bene defunctis quorum purgatior vnus
Hoc interuentu non eget, alter eget.
A Offerri reliquas ratio docet, obtinet vſus,
Non tamen hinc idem fructus vtriſque datur.
Nam dum pro iuſto ſacris aſſiſtitur aris,
Pro iuſto grates ipſe miniſter agit.
Cum pro ſaluandis nunc pœnam temperat vltor,
Nunc & plena quies acceleratur eis.
His epulis epulas illius ſumimus agni,
Quem lex præcinuit, crux tulit, ara ſapit.
Presbyter hunc miniſterio ſumpturus ab igne,
Tam ſibi quàm populo munera trina petit.

Agnus dei qui tollis peccata mundi, &c.

B Inter eos ſiquidem primum rogat enumerari,
Quos in carne pudet turbine carnis agi.
Hinc in eo regno petit iſdem glorificari,
Quo ſua membra caput glorificanda trahit.
Poſtremo quia ſpiritui caro læua reſiſtit,
Cedit & infœlix ſpiritus ipſa caro.
Implorat pacem qua fiat vterque, quod alter
Concordes velint, atque ſequantur idem.
Nam niſi re bene compoſita nec iuſtificantur:
Nunc nec in æternum glorificatur homo.
Hoc intellectu diſtinguit priſca vetuſtas,
Quod clerus triplici voce precatur ita.
C Ad Chriſti reditura fidem Iudæa notatur, *Agnus dei ter dicitur*
Cum patris ad dextram cedit & explet opus.

De ſacramento altaris alii verſus.

Panis in altari verbi virtute ſacratus
Fit caro diuina noſtri medicina reatus.
Non alius celebrat quamuis alius videatur.
Myſterium ſacrum verbum deus hoc operatur.
Verbum namque caro factum ſacra verba magiſtrat:
Et per ſacrificem carnem de pane miniſtrat.
Hic opus, hic opifex deus eſt, ſacrat atque ſacratur,
Fitque creatura, per quem res cuncta creatur.
Nam res cui panis pridem ſubſtantia manſit,
In Chriſti carnem deitatis munere tranſit.
Neſcit homo neſcit, ſtupet angelus hoc ita factum.

Arca-

Arcaniq́ue sacri pauet inscrutabile pactum.
Nescit quo modulo,quo virtutis documento, D
Rex elementa creans prodit deus ex elemento.
Sed dextræ domini talis mutatio cedit.
Quo viget omne quod est,cui mundus & æther obedit,
A nostris oculis ideo sunt ista remota.
Hæc penitus nobis nisi mentis lumine nota,
Vt sic nostra fides ad iusticiam doceatur:
Et fidei maior merces exinde sequatur.

Alii versus de eodem.

Melchisedech domino panem vinúmque litauit.
Christus idem statuens,pactum vetus euacuauit
Inter vtrumque:diu fuit alter sacrificandi
Ritus,& obtinuit vim qualemcunque piandi. E
Agnus enim legis carnales diluit actus:
Agnum præsignans,qui nos lauat,hostia factus.
Hoc semel oblato,cursum prior ille peregit,
Quódque fuit signum,præsens effectus abegit.
Quis locus auroræ postquam sol venit ad ortum?
Quísve locus votis teneat,cùm nauita portum.
Lex aurora fuit,bos & capra vota fuere:
Crux sol,crux portus hæc est,ea præteriere.
Crux clausit templum,crux soluit enigmata legis.
Sub cruce cessat ephod,& deficit vnctio regis,
Hircus,ouis,passer,veruex,vel adeps vitulorum.
Nil præconatur deus,hostia finis eorum. F
Parcat Hebræus eis,caro carnes abstulit aræ.
Est pecudum pecudes post Christum sacrificare:
Mortuus ille semel,licet vltrà non moriatur.
Idem quotidie sine vulnere sacrificatur,
Panis in altari, deus in cruce,nil dubitetur.
Hoc verbo vitæ fieri vita ipsa fatetur.
In Christi carnem panis substantia transit:
Quæ vegetat mentem,nisi Christus inania sanxit.
Hac in carne nihil carnale,nihílve cruentum,
Spiritus hanc tangit,videt,accipit ad monumentum.
Ordo sacer,bona traditio,pia victima panis.
Vnde procul facinus,procul error,& vsus inanis,
Secretum fœlix,noua virtus,vtile sacrum,

Quo

Quo factus ſanguis liquor eſt vitale lauacrum.
A Nam quia peccantes medicina ſemper egemus,
Hanc pro peccatis medicinam ſemper habemus.
Hæc datur ad vitam:ſed ſi reus hanc verearis,
Qui patris ad dextram ſedet,& mactatur in aris.
Ecce vides in lege typos & ſigna periſſe,
Ad propriúmqee caput ſic ſacramenta rediſſe.
Ara crucis,tumulique calix,lapidiſque patena
Sindonis officium candida byſſus habet.
Eſt ratio cur pars altaris dextera miſſæ
Principium finémque tenet,mediúmque ſiniſtra.
Dextera Iudæos,Gentiles læua figurat:
Cœpit ab his,transfertur ad hos,referetur ad illos
B Noſtra fides:& erunt ſub mundi fine fideles.
In natale ſacroſanctæ ſolennia miſſæ
Quid ſignent,aut cur ter celebrentur habe:
Nocte prior ſub luce ſequens,in luce ſuprema,
Sub Noe,ſub Dauid,ſub cruce ſacra notant.
Sub Noe,ſub Dauid,ſub Chriſto ſacra fuere,
Nox,aurora,dies,vmbra,figura,deus.
Tres partes fractæ de Chriſti corpore ſignant,
Prima ſuam carnem,ſanctóſque ſecunda ſepultos,
Tertia viuentes,hæc eſt in ſanguine tincta.
Martyrij calicem geſtant in carne fideles.
In ſpecie panis caro vita datur bene ſanis.
C Sanguis potatur,quo mundus conciliatur.
Viuere quiſquis amat hæc mundo pectore ſumat.

Verſus de fide ſanctæ trinitatis.

Eſſe quod eſt ex ſe deus eſt,per quod datur eſſe,
Quod non eſt ex ſe,deitatis non habet eſſe.
Eſſe quod eſt deus eſt,cui verum competit eſſe.
Conuenit huic ſoli,quod nulli conuenit eſſe.
Ante deum nihil eſt quod poſſit eo prius eſſe.
Poſt illum nihil eſt quod poſterius queat eſſe.
Supra quem nihil eſt,quod dicam celſius eſſe:
Extra quem nihil eſt,quod dicam latius eſſe,
Omne quod eſt,opus illius eſt,dedit omnibus eſſe:
Et ſine quo nihil eſt,nihil aut fuit,aut valet eſſe.
Cuius maieſtas diſponens cuncta penes ſe.

Vt

Vt nunquam cœpit, sic nunquam desinit esse.
Omne quod est, quod erat, quod erit par huic nequit esse. D
Præter quem solum deus alter non habet esse.
Namque deum verum verax ratio negat esse,
Quem lapis atque manus hominis perduxit ad esse.
At deus omnipotens, cui nullus homo dedit esse.
Imò qui faciens hominem reparauit ad esse.
Hic verè deus est, & non deus hic nequit esse.
Et deus ipse deos super omnes creditur esse,
Totum totus habens, toti vult iure præesse.
Cuncta creando sibi vult cuncta creata subesse,
Totus vbique suum non alternat deus esse.
Qui modò non alius quàm pridem creditur esse,
Omnia transmutans, nequit hic mutabilis esse: E
Aeternúsque deus habet æternaliter esse.
Qui cùm sit magnus maior nequit aut minor esse.
In quo semper erat in eodem permanet esse.
Quem det esse quod est, sed non decet esse necesse:
Imò necesse per hunc bonus omnis homo valet esse:
Non aliena bonum bonitas illum facit esse.
Ex propria bonitate sua scitur bonus esse.
Orthodoxa fides personas tres probat esse
In deitate, deos sed tres negat in tribus esse.
Ingenitus genitor genitum genuit deus ex se:
Non tamen hic genitor habuit genitó prius esse.
Spiritus almus ab his procedens par habet esse,
Vna sed in tribus his substantia creditur esse. F
Vtque coæternum personis congruit esse,
Sic par maiestas, par virtus fertur inesse.
Quod pater est hoc filius est, hoc spiritus esse
Dicitur. vnus enim deus vnum continet esse,
Qui tamen est genitor, non & genitus valet esse.
Qui verò genitus est, spiritus hic nequit esse.
Sicut in vno tres personas dicimus esse,
Sic in personis tribus vnum credimus esse.
Ergo factorem factura deum sciat esse,
Cui mirabiliter mirabile competit esse.
Garriat ergo licet Sabelius, hoc nihil esse.
Hoc orthodoxus tenet, & sic astruit esse.

Arrius

Atrlus infœlix quia non sic credidit esse,
Tartareis flammis meruit sine fine subesse.
A Taliter alta fides de vero disputat esse.
Taliter vt credant reor omnibus esse necesse:
Et nisi credamus nisi confiteamur id esse
Firmiter & sanè, salui non possumus esse.

F I N I S.